

etiamsi constituerit nolle se hæredem esse, tamen si supersint dies cretionis pœnitenti, actu cernendo hæres fieri potest. Prosequitur Cuiac. *in notis ad fragmenta Ulpiani, in dict. §. cretio*. Quod verò Ulpianus hîc sit intelligendus de hærede sub illa formula instituto, satis mihi demonstrant verba illa: *Finge eum super vixisse centum diebus*. Hæres ergo sic institutus cum cretionis formula rogatus fuit restituere hæreditatem, & eam repudiavit; & cum posset compelli adire à fideicommissario, eique restituere hæreditatem, compulsus non fuit, fortè quia erat intra dies cretionis. Decessit proximus qui ab intestato debebat succedere, & post centum dies decessit etiam hæres scriptus, qui rogatus erat hæreditatem restituere. In hac specie Ulpianus docet, posteriorem admitti cum onere fideicommissi. Ratio est, quia cum transactis diebus cretionis hæres institutus exhæres sit, videtur proximus, qui tunc fuerit, iudicio testatoris admissus, & vocatus ad suam hæreditatem. Nihil ergo mirum, quod ex mente rescripti Severi onere fideicommissi gravetur. Et licèt apud alium non legerim, hic sanè sensus mihi visus fuit germanus huius textus, omisso Cujacio *observ. lib. 18. cap. 12.* quem si libuerit vide, & sequere si meliora adducit. Hos autem tres locos Ulpiani hîc expendi *in dict. l. si Titio, §. 1. ff. de legat. 2. & in dict. l. 1. §. illud. ff. de legat. 3. & in dict. l. 2. §. ultim. ff. de suis & legitim. hæredib.* ne videantur sibi contrarij, cum unusquisque sibi constet in suo casu, & quam sectamur probet resolutionem.

34 Tertius locus sit Scævola *in l. quidam referunt 14. in princ. & §. 1. ff. de jur. codicill.* Ubi expressè præsupponit, legatum nominatim ab instituto relicto, si consistat, viresque habeat, à substituto deberi; cum ea ratione non deberi affirmet, quia hæres in rebus humanis non erat tempore quo relinquebatur; atque ideo legatum non constiterat. Neque dubitari potest, Consultum loqui de legato nominatim relicto, cum in priori specie agat de hærede ex asse instituto: quibus in terminis in opinione adversa-

riorum, etiamsi per verba appellativa loqueretur testator, idem esset ac si proprio nomine illum gravaret, ut post Castrenf. fatetur Menoch. *dict. præsumpt. 108 n. 34.* junctis etiam quæ supra jam tradidimus *num. 21.* etiam ex doctrina DD. qui oppositam sequuntur sententiam.

Neque tunc replicari poterit ex §. 1. 36 huius legis, ibi: *Quia sit substitutus hæres, qui partem faciat, licèt ipse non debeat*. Ex quibus verbis videtur colligi legata à substituto non repeti etiam relicta sub verbis generalibus, *Quisquis hæres mihi erit*, quibus in eo §. utitur Scævola; quia huius §. verus sensus longè diversus est, qui rectè percipietur si species illius intelligatur. Non est ergo inutile eam ponere, saltem pro Tyronibus, tam principij textus, quàm dicti §. 1. & ut sciatur quid Africanus addiderit *in l. Sed cum ex testatoris 15. ff. eodem tit. de jur. codicill.*

Ergo Scævola quæstionem difficilem 37 refert inter Sabinianos & Proculeianos agitatam, in cuius resolutione inter se, sicut in alijs diversi fuerunt. Hæc est species principij textus: Testator hæredem ex asse instituit, eique vulgariter substituit: mortuo hærede testator ipse codicillos fecit, in quibus dedit legata, & alia ademit ab hærede relicta. Dubitatur circa legata data, an valida sint? & circa adempta, an validè adempta sint, an verò non? & an à substituto debeantur. Et difficultatis cardo totus dependet ab illa altera quæstione, an datio hæc, vel ademptio legatorum censeatur facta in testamento, vel in codicillis? Quia si datio censeatur facta in testamento, tunc legata consistent in persona instituti eo tempore viventis, unde à substituto debebuntur ex tacita defuncti voluntate, *l. Cum pater 77. §. ab instituto 15. ff. de legat. 2.* lege lata per rescriptum, de quo *in dict. l. licèt 74. ff. de legat. 1.* Et circa adempta, si ademptio censeatur facta in testamento, illiusque tempore, à substituto non debebuntur, quasi etiam adempta ab instituto. At si datio censeatur facta in testamento vel codicillis, cum jam non sit hæres, ad quem fermo.

sermonem dirigat testator, invalida erunt legata, ac proinde à substituto non debebuntur. E contra in ademptis ex eademmet ratione invalida erit ademptio, & consequenter debebuntur à substitutis, quia sunt relicta validè ab instituto.

38 In hac autem quæstione Sabiniani existimabant perinde valere dationem, ademptionemque legatorum, ac si testamento scripta essent; & utebantur collectione huiusmodi, quòd codicilli pro parte testamenti habeantur, observatio- nemque, & legem juris inde traditam servant: quasi apertius dicerent, Legatum parte aliqua testamenti datum, à substituto debetur; ademptum à substituto non debetur: sed codicilli sunt partes testamenti, eorumque observatio, & jus ex testamento pendet, forma, origo, & principium, l. 2. §. 2. ff. de jure codicill. l. in bello 12. §. codicillis, ff. de captiv. & postlimin. revers. Ergo legatum codicillis relictum à substituto debebitur, ademptum non debebitur. Et hinc obiter notabis eleganter Jurisconsultum syllogismum vocare collectionem. Sicut Seneca, & Quintilianus vocant. Cicero autem conclusionem appellat. Hæc fuit opinio Sabinianorum, & hoc illorum fundamentum.

40 Cæterum Proculeiani existimarunt, non esse in hac specie codicillos ad testamentum referendos, & Sabinianorum collectioni occurrunt proferentes similem casum, quo codicilli ad testamentum non referuntur, ut si mortuo legatur codicillis, qui vixit testamenti tempore; est enim legatum nullius momenti: quod etiam si Sabiniani fatentur, ut constat ex Juliano, qui & ipse Sabinianus fuit, in l. 2. §. 1. ff. de jure codicill. & merito, quia deficit persona cui detur; & ubi persona deficit, cui detur, frustra quæres, an datum valeat. Est igitur potius quod datum est, pro nullo, sive pro non scripto, atque ita hoc casu codicilli non referuntur ad testamentum, quia si referuntur ad illius tempus, utique esset vivus legatarius cui daretur. Inse- cunt ergo Proculeiani, quod sicut codicillis inutiliter legatur à mortuo, vel

adimitur, idest ab hærede mortuo codicillorum tempore, licet viveret testa- menti tempore, ita legata in ipsis codicillis data à substituto non debebuntur, quia à substituto adempta non sunt; & ab instituto adempta intelligi haud possunt, quia ut à mortuo frustra das, ita à mortuo frustra adimis. Et hanc sententiam sequutus est Scævola lib. 8. quæst. in dict. l. quidam referunt, cujus princi- pij species hæc vera est, & hic sincerus ejus intellectus, probans facile ad nos- tram materiam legata valida ab institu- to, etiam nomine proprio relicta à sub- stituto deberi.

42 Casus autem §. 1. non est de hærede ex asse instituto, sed de duobus hæredi- bus: & sic ponenda est species: Duos in- stituit testator hæredes, eisque dedit substitutos: uno ex eis mortuo, codi- cillos fecit, & lata rel quit Quærit Con- sultus, an valida sint? Respondet utilia videri, quia consistunt ab hærede super- stite etiam codicillorum tempore. Du- bitat autem an cohæres ille superstes tota legata debeat præstare, an etiam substitutus? Ratio dubitandi in eo con- sistit, quia testator usus fuit verbis generalis: *Quisquis mihi hæres erit legata præstet.* Quæ verba videntur etiam com- prehendere substitutum, quia etiam hæ- res est testatoris, l. paterfamilias 46. cir- ca fin. ff. de vulg. & pupil. Cum igitur etiam substitutus cohæredi partem faciat, idest eam partem sibi ferat hæredi- tatis, quam laturus erat institutus, vi- debatur dicendum etiam ad præstatio- nem legatorum teneri. Sed contrarium respondet Scævola, eâ nimirum ratione, quia cum tempore legationis legatorum non viveret hæres in cujus locum sub- stitutus fuit Sempronius, v. g. non po- test ad eum conferri testatoris ille ser- mo: & cum in illius persona non consti- terint legata, ab illius substituto repeti non valent. Prosequitur Consultus, eandem quæstionem posse tractari circa nomina expressa, idest si hæredes gra- vati sint proprijs nominibus præstare legata codicillis relicta: & ait multò ma- gis, idest indubitabilius esse cohæredem solida præstare teneri, consequenter non

non substitutum, quia is adjunctus sit, qui etiam tunc cum adjugebatur, in rebus humanis non erat. Quod idem est ac si diceret, non posse intelligi gravatum Titium in rebus humanis non existentem tempore gravaminis, quia cum non sit jam persona, utpote jam non ens, ad illum testatoris sermo conferri nequit. Concludit ergo Scævola, cohæredem solummodò tota legata præstare debere: & satis semper demonstrat à substituto repetenda, si ab instituto constituerunt, sive sub generalibus verbis, vel appellativo nomine, aut si proprio relicta proponantur.

43 Sed cum hæc respondisset Scævola ex penetralibus juris, addit African. esse ex æquitate temperanda *in l. sequenti*; quia cum ea testatoris voluntas fuerit, ut ex universa hæreditate legata erogarentur scriptis hæredibus, profutura erat doli exceptio si amplius quàm hæreditaria portio petatur, idest si in amplius quàm pro hæreditarijs portionibus conveniantur, si generaliter vel appellativo nomine eos gravatos proponas, *l. legatorum 33. l. si pluribus 44. ff. de legat. 2. vel si in amplius, quàm pro virili, si sub nominibus proprijs sint onerati, l. turpia legata 54. §. fin. l. si hæredes 124 ff. de legat. 1. l. quoties 23. cum lege nonnunquam, seq. ff. ad S. C. Treb. explicant Gloss. & Bartol. in dictis locis, Gom 1. tom. cap. 12. numer. 17. Cuiac. lib. 9. Resp. Modest. in dict. l. legatorum, & lib. 15. quæst. Pap. in dict. l. nunquam: optimè Donel. lib. 7. comment. cap. 20. à vers. Et ut à relicto: & ibi Osuald. lit. A. allegat Simon. de Pret. lib. 3. de interpret. ultim. volunt. interpret. 1. dubit. 5. solut. 1. Philip. Masfin. ad l. 1. Cod. de impub. substit. num. 95. & seq. idem Donel. lib. 8. cap. 29. in vers. Et hæc in uno hærede. ubi Osuald. præcipuè lit. C. Comprobari autem potest æquitas Africani ex textu in l. is qui, penult. ff. de jur. codicill. Cuiac. tract. 2. ad African. in dict. l. sed cum ea 15. eodem tit.*

45 Quartus locus sit Papiniani in l. si duobus 16. §. 1. vers. Nam etsi duos. ff. de legat. 1. ubi expressè docet, quod si testator duos ex hæredibus suis nominatim dam-

nasset, & alter hæreditatem non adiisset, ad eum qui adiisset pervenire: ergo satis apertè docet legatum nominatim relictum à cohærede repeti.

Tandem resolutionem, quam sequimur, probat textus expressissimus in l. non justam 4. Cod. ad S. C. Trebell. Cujus species hæc est: Nepos aviam & fratrem hæredem instituit ex parte, & aviam rogavit, ut partem suam restitueret Quintianæ: avia repudiavit hæreditatem; sed coacta à Prætore, postulante Quintianâ, hæreditatem adivit; attamen priusquam attingeret hæreditatem, quam adivit coacta, eamque restitueret, vita decessit. Quæsitum est, an intercideret fideicommissum, quod viva non restitueret Quintianæ? Lex ait consistere fideicommissum, & à cohærede, cui accrescit portio repudiata esse præstandum post constitutionem Severi, & Antonini, decernentem legata relicta ab instituto censeret repetita à substituto. Cui constitutioni consequens est, ut cohæres etiam quasi substitutus, vel exemplo substituti consequatur accrescentem portionem cum onere fideicommissi. Cum igitur in specie hujus textus avia fuisset nominatim gravata, ut constat ex illius serie; & Imperatores Diocletian. & Maximin. actores ejusdem textus ad inducendam repetitionem fideicommissi moveantur autoritate rescripti, omni modo probat textus post rescriptum legata nominatim relicta intelligenda fore repetita.

Hanc sententiam nominatim tenuerunt Gloss. in dict. l. pater 29. verb. Extitisse, ibi: Tu dic secundum Azon. quod hic loquitur secundum jus antiquum, quod hodie corrigitur, & in dict. l. non justam, verbo Repetiturum, in fin. ibi: Vel secundum Azon. ita corrigitur per illam, &c. Raphael Cuman. & Paul. Castrens. in dict. l. licet, ff. de legat. 1. quibus libenter se socium adscribit Fachin. lib. 5. contr. cap. 29. vers. Sed regula superior, & vers. Substituto similis est cohæres: & notat sententiam Celsi in dict. l. pater, §. ultim. & Juliani in dict. l. si Titio 61. §. 1. ff. de legat. 2. veterem esse ante rescriptum, & per illud revocatam: atque ideo cæteris posteriori-

sterioribus Jurisconsultis displicuisse Cuiac. in recit. ad tit. ff. de legat. 1. in dict. l. si rursus quanta questio est, circa finem, notans etiam Celsum ante Severum, & Antoninum floruisse, nempe Trajani tempore, quo etiam Julianus floruit. Et iterum in eodem titulo, in l. si quis à filio 32. & ad tit. ff. de leg. 2. in dict. l. pater 29. & lib. 8. resp. Papiniani in l. cum pater 77. §. cum pater, ff. de leg. 2. ubi etiam notat Celsum fuisse longè antequam Severus rerum potiretur. Et lib. 8. observ. c. 12. & iterum in C. in recit. ad tit. ad S. C. Trebel. col. mibi 3. vers. Et huc spectant: ubi etiam ait esse verum quod Azo dicit, constitutionem illam Severi & Antonini abrogasse quod veteres juris Authores existimaverunt, putà Julianus & Celsus, videlicet acrescere portionem cohæredi sine onere fideicommissi, si ab eo quoque nominatim relictum non sit: & notat ita existimasse Julianum, & Celsum, cum nondum prodijisset illa constitutio, sed quod hodie constitutionis sententia sequenda est, idest ut ipse dixerat, repetita intelligenda fore legata, etiamsi proprio nomine relicta ab instituto proponantur. Hanc etiam sententiam amplexus est Valencia ubi supra, cap. 4.

48 Sed cum rescriptum in obscura voluntate locum habeat, inde est ut repetitio ex illo inducta ita sit accipienda, si non fuerit evidens diversa voluntas, quæ ex multis colligitur. Ponit tria exempla Ulp. in dict. l. licet. Primum, seu potius prima conjectura illa est, si testator eidem fideicommissario vel legatario aliam rem reliquerit à substituto, quam ab instituto non reliquerat. Et habet hanc rationem, quod testator cum aliam rem reliquit à substituto, videtur onera partitus esse inter institutum, & substitutum, quæ vellet propriè inter eos servari, ne quod uni attributum esset ad alterum pertineret. Alterum exemplum, seu alteram conjecturam ponit Ulpianus si certa causa fuit cur ab instituto reliquerat, quæ in substituto cessaret: & manifestam habet rationem; dicere enim solemus, causa cessante, ei rei, quæ ob causam inducta est, locum

non esse, l. quod dictum, ff. de pact. l. de eo, & seq. ff. de judic. Ut si fingas testatorem jussisse hæredem institutum dare centum Titio, quæ ipse debeat, & hærede deficiente, substitutum ejus, si testatorem nihil debere appareat, fideicommissio non tenebitur, quia in eo non eadem dandi causa est, ut exemplificat Donel. dict. cap. 29. vers. Sed regul. Tertia conjectura est si fideicommissarium ipsum substituerit ex parte, ut in specie textus elegantis in l. Latinus Largus 83. ff. de legat. 2. qui eà ratione defenditur, quia cum testator fideicommissarium in partem substitutionis admisit, videtur tantum detraxisse alteri substituto, quo huic fideicommissario satisfaceret de eo, quod ab altero substituto repetitum videri posset.

Et ex eadè voluntate dimanat repetitio fideicommissi in illis duabus speciebus, de quibus idem Ulpianus in l. si Titio 61. §. 1. ff. de leg. 2. & in l. 2. §. ult. ff. de suis & legit. hæred. & denegatur ab eodem in specie legis 1. §. illud 9. de legat. 3. quæ jura jam supra expendimus, & explicavimus. Et similiter repetitio denegatur in specie textus in l. penult. ff. de jur. codicill. quæ sic se habet.

Quidam cum unum filium existentem haberet, codicillos fecit ab intestato, in eis fideicommissa reliquit, & postea alium procreavit filium: & ait Marcellus, Agnatione sui hæredis nemo dixerit codicillos evanuisse. Subsistamus hic paulisper, quia imò codicillos evanuisse dicendum videbatur, ex reg. l. 1. Cod. de codicill. Sed solves breviter si dixeris faciendam esse distinctionem, & separandos casus, quando nempe quis ab intestato fecit codicillos, sive illos confirmaverit testamento, vel non; nam cum tunc cum accessorij sint respectu testamenti, sicut ipsum principale rumpitur, idest testamentum, ita ipsi codicilli accessorij rumpentur, l. si quis cum testamento 3. §. testamentum, ff. de jure codicill. Ideò autem rumpitur testamentum, non verò codicilli ad intestato facti, quia cum codicillis non possit dari, neque adiri hæreditas, l. non codicillis, Cod. de testam. non potest posthumus intelligi.

telligi præteritus codicillis, qui testamento præteritur. Pergit Marcei. *Igitur nihil tunc de posthumis speravit, & codicilli non evanescent, & quæ relicta sunt pro parte dimidia filius ad quem codicillus factus est, solvere compellitur, non etiam posthumus.* Ratio dubitandi est, quia immò videbatur dicendum, etiam à posthumo fideicommissa præstanda, quia fit cohæres alterius filij existentis codicillorum tempore: & tunc quasi à substituto debent intelligi fideicommissa repetita. Quod probare videtur textus *in dict. l. si quis cum testamentum 3. §. 1. & in l. ab intestato 16. ff. de jur. codicill.* Sed contrarium respondet Marcell. & conciliandus est cum Juliano *in dict. l. si quis cum testamentum*, §. 1. & cum Paulo *in dict. l. ab intestato 16.* & dicendum quod Marcell. loquitur de fideicommissis à filio existente relictis nominatim: alij verò Jurisconsulti loquuntur de fideicommissis simpliciter, & generaliter relictis, utputà: *Centum Titio dari volo: vel, Quisquis mihi hæres erit.* Et ratio differentia in eo consistit, quia quando adfunt verba simplicia, vel generalia, de omnibus ab intestato venientibus indefinitè cogitavit defunctus, & ideo omnes tenentur: at quando nominatim filium existentem gravavit, solum de illo cogitavit, ac proinde posthumus non tenetur, & filius existens tenetur solum pro dimidia, non attento juris rigore, quia in solidum debebat teneri, ut respondit Scævola, qui semper ex stricto juris rigore quæstiones dicit, *in dict. l. quidam referunt*, §. 1. *ff. de jur. codicill.* sed ex æquitate, ut African. dixit *in dict. l. sed cum ex testatoris.* Tenetur autem filius existens, quia ei creditur sponte defunctus legitimam hæreditatem vel bonorum possessionem relinquere, quia cum testamentum facere posset, noluit, *l. conficiuntur 8. §. 1. ff. de jur. codicill. l. si fundum 92. §. fin. ff. de leg. 1.*

Alteram quæstionem ponit Marc. *in vers. Sed si*, ubi loquitur de eo, qui cum codicillorum tempore duos filios existentes haberet, alterum mortuum putabat; & supponens pro certo, filium

aliàs superstitem & pro mortuo reputatum ad fideicommissum non teneri, ex supradicta ratione deficientis voluntatis defuncti de eo non cogitantis, inquit, an alter filius solida præstare teneatur fideicommissa: In quo dubio videtur 58 respicere ad responsum Scævola *in d. l. quidam.* Sed sicut in priori casu, ita in hoc secundo ait, *imò dumtaxat partem debet.* Et sic de plano procedit sensus Marcelli, quin sit necesse adicere verba illa, *imò dumtaxat partem debet*, notans esse Ulpiani, ut vult Cuiac. *tract. 2. ad African. in l. sed cum ea. ff. de jur. codicill.* quia aliàs congruenter non loqueretur Marcellus, quippe eadem prorsus ratio militat in priori casu circa voluntatem defuncti, quando post codicillos filios genuit, & quando licèt illum haberet existentem, mortuum tamen credebatur. Neque exemplum faciunt jura, quibus movetur Cuiac. quia in illis ponuntur verba expressa Ulpiani, quæ cum desint *in dict. l. penultim ff. de jur. codicill.* nihil est, ut ea contra juris religionem addamus; & maximè cum nulla adfit addendi necessitas. Sed quod dixerat, temperat Marcellus his verbis: *Eorum tamen quæ pro parte præstari non possunt, nihil præstandum, quoniam ille non fuerat filius ablaturus, cum solum putaret successorem sibi futurum.* Vides ergo, quod semper in hoc responso fundatur Marcellus in defuncti voluntate, & ad negandum gravamen in cohærede, imò in ipsomet hærede. Sed ultima illa verba: *Eorum tamen quæ pro parte præstari non possunt, nihil est præstandum*, intelligenda sunt nisi offeratur æstimatio partis; idque sive servitus sit legata, *l. cum filius 76. ff. de leg. 2.* sive fideicommissaria libertas relicta, quia eam filius præstare non potest, nisi redimat partem à cohærede, *l. qui gravi 11. cum leg. seq. ff. de jur. codicill.* aliter esset si libertates directæ in testamento relinquerentur; nam tunc & propter illorum favorem, & propter illarum individuitatem, cum nemo possit pro parte esse servus, & pro parte liber, *l. duobus, ff. de liber. caus. l. judicata. ff. de except. rei judic.* indistinctè libertates competunt, *dict. l. cum filius*

59 *ius 76. in priori casu ff. de leg. 2. in cuius specie amplius non immoror, quia ejus questio, & resolutio hodie otiosa est, cum per novellam Justiniani rescisso testamento per querelam legata, & libertates conferrentur in solidum, & sola hæredum institutio vitietur, Auth. ex causa, Cod. de lib. præterit. & de jure Regio Lusitano Ord. lib. 4. tit. 82. §. 1. videndus tamen Cuiac. pro illorum jurium explicatione lib. 7. respons. Papinian. in dict. l. cum filius.*

60 Et quemadmodum ex testatoris voluntate, ut supra visum remanet, cessat repetitio; ita etiam ex juris ratione in his, quæ pro non scriptis habentur: hæc enim si non sit substitutus, vel conjunctus aggregatus, remanent apud eos, à quibus sunt relicta sine onere, hæredes scilicet, & legatarios. Et ratio juris illa est, quia illud gravamen à principio non constitit: igitur non potest repeti, neque à conjuncto, neque à substituto, neque his deficientibus ab hærede, apud quem remanet relictum. Et cum hæc dixisset Justinian. in l. unic. §. in primo, Cod. de caduc. tollend. addit illa verba, nisi per rero, insinuans sic, aliquos tamen esse casus, licet paucos, in quibus onus sustineatur. Accurs. ibi duos proponit, & Cuiac. scribit ibidem, non posse dari alterum. Primus casus est in l. ult. ff. de his quæ pro non scriptis habent. & in l. filius 14. §. ult. ff. ad leg. Corn. de fals. in scriptore scilicet alieni testamenti, qui legatum sibi, vel hæreditatem, vel quid aliud testamento adscripsit. Quamvis enim ex Senatusconf. Liboniano, & Claudiano tale legatum pro non scripto sit, l. 1. ff. de his quæ pro non script. habent. dict. l. filius, in princip. & §. 1. cum sequentib. ff. ad leg. Corn. de fals. tamen fideicommissum, vel aliud onus illi injunctum valet, ita ut portio illa vel legatum penes hæredem remaneat cum onere fideicommissi, in quo cessat ratio prohibitionis.

62 Secundus casus est in specie textus in l. cum vero 26. §. si pro non scripto 6. ff. de fideicommiss. libert. ubi servus legatus fuit alicui, & legatarius rogatus ut eum manumitteret; vel legatum illi relictum

est, & fidei illius commissum, ut libertatem servo proprio præstaret: nam in hac specie docet Ulpian. in dict. §. si pro non scripto, quod licet legatum servi, vel alterius rei ex aliqua causa pro non scripto sit, deberi tamen servo fideicommissariam libertatem ab eo apud quem vel ipse servus, vel legatum remanserit, sive hæres sit, sive legatarius. Cuiac. lib. 12. quest. Paul. in dict. l. ult. ff. de his quæ pro non scriptis habent.

Neque his duobus casibus addi potest tertius ex l. Civitatibus 129. ff. de leg. 1. quia malè accipitur de his, quæ pro non scriptis habentur. Species legis hæc est. Quidam scripsit hæredes Gaium & Sejum, & ita dixit: Gaius & Sejus illi decem danto; & utrumque hæredem nominatim oneravit. Sejus repudiavit hæreditatem: accrescit pars ejus Gaius, & Gaius illi præstabit totum legatum; quia, inquit, Sejus habetur pro non scripto, & remanet cum onere præstandi totius legati. Breviter sic respondebis, illo loco non dicere Jurisconsultum portionem Seji pro non scripta haberi, cum ei fuerit utiliter scripta ab initio; sed Seium qui repudiavit, haberi pro non instituto, id est perinde esse ac si Gaius solus fuisset hæres institutus. Solus ergo merito præstat totum legatum. Quod etiam probat textus in l. si duobus 16. §. 1. ff. de leg. 1. & ita respondet optimè Cuiac. in dict. l. unic. dict. §. in primo, circa finem. Exceptis ergo tantummodò illis duobus casibus, quæ pro non scriptis habentur, remanent sine onere.

Firmum ergo remaneat post Severi constitutionem, legata, vel fideicommissa etiam nominatim relicta ab instituto hærede, à substituto vel cohærede intelligi repetita. Quod verum sine dubio sentio, & in Lusitaniæ Regno sequendum in judicando, & consulendo, propter jura expressa, quibus moveor, supra adducta, & ponderata, quæ prius sequi jubentur quam Doctorum authoritates, per Ord. lib. 3. tit. 64. in princ. Et quia etiam si Doctorum authoritates attendamus, prævalet Bartolo & alijs Accursij authoritas, ut cavet §. 1. dict. tit. 64. quæ etiam fuit opinio nostra.

- 65 Neque in hac re audiendum existimo Anton. Fabr. sibi contrarium; quippe *lib. 4. conjectur. cap. 13. à num. 5.* etiam ante Severi rescriptum, de quo *in dict. l. licet*, in cohæredibus testamentarijs repetitionem admitti scripsit: postea autem *lib. 18. conjectur. cap. 14.* sententiam hanc retractavit, & neque antea, neque post scriptum in cohæredibus repetitionem concessit, sed solummodo post rescriptum in substitutis, ut constat ex *traditis dict. cap. 14. num. 11.* In cohæredibus verò inductum id de novo censet Justinianus, ut constat *in l. unic. §. profecundo, & §. Sin autem, Cod. de caduc. tollend.* Et movetur verbis ejusdem textus, ubi istius juris inductionem, & noviter sibi Justinian. tribuere videtur: quippe quòd neque potuit Faber satisfacere, neque quidem tentavit tot Jurisconsultorum responsis, ante Justiniani tempora portionem cum onere accrescere probantibus; & cum maxime convincatur per textum expressissimum *in dict. l. si Titio 61. §. 1.* non dubitavit asserere totam illam clausulam, *sed post rescriptum Severi*, Triboniani esse, non Uipiani; & eadem ratione, quâ totam illam clausulam Triboniano adscripsit, tribuere etiam debebat totum Imperatorum Dioclet. & Maxim. rescriptum *in dict. l. non justam 4. Cod. ad Treb.* quia præfati Imperatores cum multò antequam Justinianus vitam duxerint, nihilominus tamen portionem cum onere accrescere ex rescripto Severi responderunt, non quasi jus novum statuentes, sed jus quod jam ante rescriptum erat, explicantes, ut satis acutè vidit Valenc. *d. cap. 3. num. 24. & 25.*
- 66 Ut verò facile assequamur quid Justin. de novo introduxerit, animadvertere oportet ea, quæ ultimis elogijs relinquuntur, triplici modo deficere; vel enim deficiunt statim initio testamenti, vel post testamentum vivo testatore, vel post mortem testatoris, ut distinguit textus *in l. unic. §. & cum triplici, Cod. de caduc. tollend.* ubi etiam habetur, ea quæ ab initio deficiunt, pro non scriptis esse; ea verò quæ post testamentum, vivo
- testatore, fuisse in causam caduci; quæ verò post mortem testatoris, directo nomine caduca. Ea quæ pro non scriptis sunt, perinde semper habita fuere, ac si scripta, & inserta testamento non essent: quapropter inutilia, & nullius esse momenti semper dicta sunt; cujus generis sunt quæ jam mortuo fortè ignorans testator reliquit, *l. 2. in princip. 68 l. quidam referunt 24. l. penult. ff. de jur. codicill. l. quo loco 20. §. quod si vivus, ff. de hered. instit. l. penult. ff. de his quæ pro non scriptis habent.* Dixi, haberi, pro non scriptis, quæ jam mortuo relinquuntur; nam & qui non dum nati, vel concepti sunt, in rerum natura non sunt; sed non tamen omnia, quæ his relinquuntur, pro non scriptis habentur, *l. placet 4. de liber. & posthum. l. 2. in princip. 69 ff. de jur. codicill. l. quidam 6. §. sunt, ff. de reb. dub. & idem jus est circa non scripta, si quid relinquatur his, qui capti sunt ab hostibus testamenti tempore, si postea non redierint, dict. l. pen. ff. de his quæ pro non script. habent. l. si servo meo 101. in fine, ff. de leg. 1. quia eo ipso tempore, quo capti sunt, mortui intelliguntur, idest mors, quæ sequuta est, jungitur captivitati, vel primo momento captivitatis, *l. pater 10. l. omnibus 18. 71 ff. de captivis, l. justo, in fine, ff. de usucap. item pro non scripto est, quod quis dictante testatore sibi adscribit, ex Senatusconsulto Libon. sive hæreditatem adscribat, sive legatum: & ex alio quoque 72 Senatusconsulto omnis scriptura captatoria pro non scripta est, idest quando quis alij relinquit in hamata scriptura, ut ab eo cui quid relinquit eliciat tantundem, vel amplius, veluti hoc modo: *Quantum mihi Lucius Titius legaverit, tantum illi hæres meus dato;* legatum hoc est captatorium, & ideo ex Senatusconsulto habetur pro non scripto, *l. 1. ff. de his quæ pro non script. habent.* Item 73 quæ relinquuntur peregrino, idest qui non est civis Romanus, ut deportato, vel in metallum damnato, *l. 1. Cod. de hæred. instit.* exceptâ tamen alimentorum causâ; nam hujus legati incapaces non sunt deportati, vel in metallorum damnati, ut probant jura *in l. 3. ff. de his quæ 74 pro***

pro non script. habent. l. cum Ulpianus 16. ff. de interd. & relegat. prosequitur Cuiac. eleganter explicans in dict. §. & cum triplici. At circa ea, quæ pro non scriptis habentur, nihil de novo introduxit Imperator, sed jura vetera intacta; atque illibata præcepit custodiri in omne ævum, in §. in primo, ejusdem legis unica, Cod. de caduc. tollend. jam verò diximus ea sine onere non remanere, nisi perrarò, juxta tradita & explicata supra à n. 59.

76 Circa ea verò, quæ vivo testatore deficiebant, distinguenda sunt tempora, & hæc sunt quæ in dict. §. & cum triplici, in causam caduci esse dicuntur, videlicet quæ post testamentum factum vivo testatore deficiunt morte naturali hæredis, vel legatarij, vel conditionis defectu; namque secundum jus antiquum similiter pro non scriptis erant, quippe devenerant ad eum casum, à quo incipere non poterant, argumento legis pro parte 11. ff. de servit. l. debitor 82. vers.

77 Quod si vivo, ff. de leg. 2. l. existimo 96. l. pluribus 140. ff. de verbor. oblig. sed rogata lege Papiæ postea in causam caduci affecta sunt, dict. l. unic. §. pro secundo, idest obnoxia fisco, si morte naturali hæredis, vel legatarij, vel defectu conditionis deficerent. Non si servitute, vel deportatione, quamvis intercidere dicerentur, l. intercidit 59. ff. de condit. & demonstr. jus tamen antiquum vigeat, & Fisco non applicabantur, l. 3 §. 1. ff. de his quæ pro non scriptis habent. quam ita

78 latè explicat Cuiac. loco supra citato. Sed constitutione Justiniani, quod est ultimum tempus, ab his quasi caducis excluditur fiscus, & restituto jure antiquo pertinent ad substitutum: quod si nullus sit substitutus, accrescunt conjuncto, idest cohæredi, vel legatario; substitutus namque præfertur conjuncto, l. 2. §. 1. ff. de bonor. posses. secundum tab.

79 Quia hic venit ex tacita voluntate; ille verò ex expressa, & expressa voluntas facit cessare tacitam: quod si nullus sit substitutus, vel conjunctus, ea quæ in causa caduci sunt, remanent apud hæredem vel legatarium, vel alium quemlibet, à quo jure relicta sunt; quia ut

optimè notat Cuiac. in §. pro secundo, d. l. unica, substituto datur primus locus, conjuncto secundus, ei à quo relicta sunt tertius, & hoc est, quod de novo solummodò introduxit Imperator in dict. l. unic. d. §. pro secundo, idest abolevit in hac parte legem Papiam, & jus antiquum restituit.

Licet verò scribat in dict. §. pro secundo, omnes personas, quibus lucrum per hunc ordinem defertur, eas etiam gravamen quod ab initio fuerat complexum omni modo sentire debere, non ex eo bene intulit Faber lib. 18. conject. cap. 14. repetitionem legatorum de novo induxisse, id enim jam inductum erat vel ex juris regulis, si hæredes omnes vel simpliciter, vel sub appellativo nomine gravasset testator ( eadem ratio est de legatario, vel fideicommissario ) vel ex Severi & Antonini constitutione, quæ ex conjecturata defuncti voluntate etiam nominatim relicta repetebat.

80 Quod apprimè sine dubio probatur, quippe quod ea quæ recidebant in fiscum, ex præfatis legibus cum oneribus recidebant in Fisco, l. in facto 60. ( quæ habet inscriptionem Paul. lib. 7. ad leg. Jul. & Pap. ) §. 1. ff. de condit. & demonstrat. Deinde quibus in casibus non recidebant in Fisco, veluti liberis, aut parentibus hæredibus institutis, dict. l. unic. Cod. de caduc. tollend. in principio. vel usufructu leto ( nam usufructus nunquam recidit in Fisco, neque caduci, neque veluti caduci jure, ) his casibus remanent apud eos à quibus relicta erant, similiter cum suis oneribus, l. si ab eo 9. ff. de usufruct. legat. ergo evidentissimè concluditur contra Fabrum

81 eam repetitionem onerum non esse inductam de novo constitutione Justiniani: sed quæ diximus de onere sequendo substitutum, vel conjunctum, vel eum à quo relictum est, explicabis optimè cum eodem Justiniano in §. ne autem, ejusdem leg. de cuius materia videbis Mantiam de conjectur. ultimar. lib. 11. tit. 17. num. 10. & de tacit. tom. 2. lib. 14. tit. 42. num. 20. Gomez 1. tom. cap. 12. num. 37. Galganet. de condit. & demonstr. part. 2. cap. 1. quest. 8. num. 2. Menoch. d. præsumpt.



108. à num. 13. Peregrin. de fideicom. art. 16. Mel. lib. 1. cap. 6. à num. 23. citati per Larr. 2. tom. alleg. 51. num. 4. Castil. latè lib. 66. cap. 117. serè per tot. quibus locis latissimè de repetitione qualitatis, & conditionis.
- 85 Circa ea verò quæ propriè caduca sunt, ut facilè intelligatur quid lege ipsa Papia esset constitutum, & quid introductum ( eà abdità ) Imperatoris Justiniani constitutione; oportet distinguere & separare hæredes suos ab extraneis: & rursus oportet separare ipsos extraneos, quando unum insolidum testator, vel quando duos, seu plures ex partibus instituit. In priori casu, quando nempe instituti sunt sui hæredes, nihil cautum extabat *l. Julia & Papia*: & ratio erat, quia illud propriè caducum erat, & appellabatur lege Papia, quod deficiebat post testatoris mortem, sed ante apertas testamenti tabulas, *dict. l. unie. §. in novissimo*. Sed sui hæredes, sive ex parte, sive ex asse scripti sint, statim à morte testatoris, etiam clausis testamenti tabulis, ipso jure hæredes existunt
- 86 invitati, etiamque ignorantes, *l. 3. ff. de jur. deliber. l. apud hostes 8 Cod. de suis & legitim. hæredib. l. 2. §. si quis ex liberis, ff. de Tertullian.* & quidem hoc semper obtinuisse, etiam lege Papia vigente,
- 87 ostendit textus in *l. in suis 14. ff. de suis & legitim. hæredib.* quæ cum sit scripta ad legem Papiam, tenet in suis hæredibus non esse necessariam aditionem, quia inquit, statim ipso jure hæredes existunt: statim, idest ante apertas tabulas existere, est proprium suorum, quod est apparere de repente: ergo circa hanc speciem nihil introduxit Justinian. neque opus erat introducere. Similiter quando extraneus ex asse institutus erat, poterat adire hæreditatem statim à morte testatoris, etiam clausis tabulis testamenti, *l. 1. §. ult ff. de jur. & facti ignorant. l. multum interest 21. circa finem, ff. de condit. & demonstr.* ac proinde eodem modo circa hanc speciem nihil de novo introduxit Imperator: quando verò extranei pro parte erant instituti, tunc adire non poterant hæreditatem, nisi apertis tabulis, ut be-

ne probat textus in *dict. l. multum*: & ideo quod deficiebat ante illas apertas, caducum fiebat. Et ob hanc causam Ulpianus *lib. 8. regul. cum definit caduca*, de hærede scripto ex parte loquitur, non de hærede scripto ex asse. Et similiter Senatusconsultum quod factum est authore Adriano de petitione hæreditas, loquitur de partibus hæreditatis caducis, non de asse caduco, *l. item veniunt 20. §. ait Senatus, ff. de hæred. pet. ibi: Cum antequam partes caducæ ex bonis rustici fisco peterentur, &c.* sed ne supradictis obstat sequens versiculus, *sed & si ex asse fiat, Senatusconsultum locum habebit*, intelligendus est cum Fabro in *rationali ad illum, & lib. 3. conject. cap. 16.* ita ut verba illa accipienda sint de omni hæreditate, quando per partes tota caduca fieret: vel referas prædicta verba ad coelibem hæredem institutum, qui tamen intra centum dies legi non paruit, juxta Ulpian. in *fragmentis, tit. 17.* quod malim dicere, quàm verba illa emendare, prout emendat Cuiac. in *dict. §. pro secundo, in vers. 3. ordo.* In hac igitur specie correxit Imperator Papiam legem, statuitque hæreditates pro partibus relictas posse adiri à morte testatoris, & ante apertas testamenti tabulas: similiterque introduxit dies legatorum cedere à die mortis, non verò à tabularum apertura, sicut caducatiæ leges postulabant, *dict. l. unie. §. Cum igitur. & in §. in novissimo, Cod. de caduc. tollend.*

Hæc diximus, ut videatur; non benè Fabrum repetitionem legatorum Justiniano tribuisse, cum nulla ante Severi Constitutionem, de qua in *dict. l. licet 71. ff. de legat. 1.* esset conjecturata, etiam circa legata nominatim relictæ. Sed utcumque sit, summè notandi sunt DD. *suprà citati à num. 9.* qui contrarium responderunt, supposito apertissimo textu in *dict. §. pro secundo*, & supposità ejus eleganti ratione, ibi: *Neque enim ferendum est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.* Nam cum Pragmatici sint, qui quæstiones definire debent secundum jus quod actualiter viget, omni modo respondere debebant sive per dictam legem, *Licet, sive per*

per dictum §. *Pro secundo*, legata, seu fideicommissa etiam nominatim relicta debere intelligi repetita vel à substituto, vel à cohærede.

Neque excusari possunt, si dicant textum *in d. §. pro secundo*, non esse intelligendum de legatis, vel fideicommissis repetendis à substitutis, vel cohæredibus, sed potiùs de oneribus conditionum, sive in dando, sive in faciendo consistentium: quod explicare videtur textus alter sequens *in §. ne autem*, ejusdem legis unicæ. Quia respondebitur verba textus *in dict. §. pro secundo*, hanc restitutionem non admittere, sed generalia esse ad quæcunque onera, atque gravamina, & maximè attentà ratione dicti versiculi, *neque enim*; ultra quod verbum *onus*, in jure nostro hanc significationem recipit, ut cum inquirimus an portio devolvatur ad substitutum, vel accrescat cohæredi cum onere, intelligamus de legatis seu fideicommissis præstandis, ut probat Scævola in textu elegantissimo *in l. species auri 15. ff. de auro & argento leg.* ibi: *Respondit verbis quæ proponerentur proprietatem legatam addito onere fideicommissi.* Et *in l. hæredib. 77. in fine principij*, ibi: *Videri fideicommissi onere liberatos, ff. ad Trebell. Papinian. in l. pater filiam 14 §. Avia*, ibi: *Sed hujus quoque onus in contributionem veniret, ff. ad leg. falc. Ulpian. in l. §. si is qui 17. ibi: An tercentorum onus fideicommissarius subeat, ff. ad Trebell. & in l. 2 §. ult. ff. de suis & legitim. hæredib.* ibi: *Dicendum admitti posteriorem cum onere fideicommissi Celsus in l. 2. ibi: Quia præsumptum est testatorem cum onere legatorum, ff. ad Trebell. Paul. in l. fin. ff. de his, quæ pro non script. habent.* ibi: *Cum onere fideicommissi.* Non poterit ergo admitti præfata excusatio; sed semper concludendum est, DD. illos pragmaticos minus benè propositæ quæstioni respondisse: quare minimè sunt sequendi, licet plures numero sint.

96 Neque obstant argumenta, quibus ipsi moventur; namque ad primum, nempe ad textum *in l. pater 29. §. 1. & 2. ff. de legat. 2.* responderi posse facilè videbatur, dicendo illum textum esse Celsi, qui

sicut & Julianus, ut jam diximus, Trajani temporibus floruit, multoque antequam Severus & Constantinus vitam ducerent: nihil mirum igitur si Celsus responderit in legato nominatim relicto repetitionem cessare; cum eam in illa specie post longos lapsos annos ex conjecturata testatoris voluntate introducerent prædicti Imperatores. Ita responderunt Donel. *lib. 8. comment. cap. 29. vers. Substituto similis est: Cuiac. ad tit. ff. de legat. 1. in l. si duob. 16. vers. quinta quæstio à verbis, obstabis scilicet: & ad tit. Cod. de cad. toll. in princip. vers. & hoc est etiam: & ante eos senserat Gloss. extitisse, vers. Tu dic secundum Azonem, in dict. l. Celsus, & in dict. l. unic. §. pro secundo, verbo Sentire, circa finem, Cod. de cad. tollend.*

Sed quamvis Celsus cum ante rescriptum vitam degeret, absque dubio responderit legata, seu fideicommissa nominatim relicta non esse repetenda à cohærede, vel substituto; non tamen talis Celsi mens est in specie, de qua agit *in dict. l. pater*, à principio, neque ad finem, sed longè diversa, & adeo juri consona, ut sibi locum vendicet tam ante, quam post rescriptum Severi, & Justiniani constitutionem.

In principio textus hanc speciem proponit Celsus: Catulus filiam ex asse hæredem instituit, libertoque ducenta legavit, & petit ab eo, ut ea concubinæ suæ daret; libertus vivo testatore decessit: in hac specie respondet Consultus, quod ei relictum erat, apud filiam remansurum, sed esse cogendam fideicommissum concubinæ reddere. Fluit quidem interpretatio hujus textus ex dictis suprâ, quippe cum proponatur filia hæres instituta, & suis hæredibus erubuerit lex Papia jugum suum imponere, licet libertus decesserit vivente adhuc testatore, legatum non incidit in caduci causam, idest non fit obnoxium fisco, sed secundum jus vetus habetur pro non scripto, cum devenerit ad casum à quo incipere non possit, deficiente persona cui legabatur, *l. 3. ff. de his quæ pro non script. hab.* cum alijs jam suprâ à nobis adductis, à num. 76. Ideo ve-

102 rō legatum ibi habitum pro non scripto remanet cum onere, quia testator ne inhonesto legato & filiæ verecundiæ minimè decenti eam oneraret, liberti fidem, & ministerium elegit, ad quem non legati commodum pertinere voluit, sed voluntatis obsequium. Cùm igitur ea de causa non ipsi liberto, sed concubinæ ab initio relictum videatur, hinc fit, ut omisâ mediâ liberti capientis personâ, concubinæ persona spectetur, & perinde filia teneatur ac si ab initio non liberto, sed concubinæ legatum relictum fuisset, argumento textus in l. 3. §. *etiamsi quis*, juncto §. *sequenti*, ff. de legat. præst. l. *cùm dotem* 57. ff. ad leg. Falcid. l. *avia* 77. §. *Titius*, ff. de cond. & demonstr. Et hac de causa cùm statim à principio potius ipsa filia, quàm libertus gravata censeatur, hunc casum non adjunxit alijs illis duobus, in quibus solummodò remanent onera salva in his, quæ pro non scriptis habentur, de quibus egi à num. 61. & 62.

104 Continuando hanc hypothesim dicit I. C. in §. 2. quod si filio hæredi pars ejus, à quo nominatim legatum est, accrescat, non præstabit legatum, quod jure antiquo capit. Est intelligendus §. *hic*, ut loquatur coherenter Consultus de portione deficiente, non per repudiationem cohæredis, sed potius quia ipse cohæres defecit in testatoris vita: quia licet portio extraneis hæredibus institutis, tanquam quasi caduca ad fiscum devolueretur, non ita est filio hærede instituto, sed filio ipsi accrescit: & cùm accrescat tanquam habita pro non scripta, quod statutum erat jure antiquo, idest non vigentibus in filio caducarijs legibus, sed jure veteri, quod ante eas erat, tanquam pro non scripta habita remanet sine onere, juxta supradicta à n. 60.

106 Hac igitur ratione meritò asserit Celsus in dict. §. 1. quod alicujus hæredis nominatim fidei committitur, posse videri ita demùm dari voluisse si ille extitisset hæres. Nam si non extiterit, & vivo testatore decedat, & institutus sit filius, vel alia persona circa quam vigorem non habuit dicta Papia lex unica in princip. Cod. de cad. tollend. pars deficiens habe-

tur pro non scripta, & legata seu fidei commissa habentur ac si à principio inutilia essent, cùm deficiat illa persona à qua dabantur; atque ideò non potest tractari de eorum repetitione ad gravandum cohæredem, l. *quidam* 14. ff. de jur. codicill. & ita hunc textum intellexit sapientissimus Præceptor Valenc. tract. 1. cap. 4. à n. 5. usque ad 10. quo vero intellectu sequuto apparet neutiquam facere dictam legem Celsus, pro opinione in cujus adducitur fundamentum.

Ad secundum argumentum deductum ex l. *si plures* 98. ff. de leg. 3. omisâ interpretatione Alciati, quam rectè credo impugnari per Menoch. dict. præsumpt. 108. n. 27. respondet Cujac. tract. 2. ad African. dum explicat legem 15. ff. de jur. codicill. necnon Donel. lib. 8. comment. cap. 29. vers. *Sed regula*, loqui ibi Consultum de pluribus institutis, qui in eodem gradu sint: & ait ejus resolutionem ad institutum, & substitutum non pertinere. Cùm enim testator in pluribus institutis à quibusdam nominatim quid legat, non potest alio consilio (verba hæc, & sequentia sunt Donelli) id fecisse videri, quàm ut cæteros legato eximeret, qui ex persona tantum sua teneri potuerunt, non ex persona eorum, qui nominatim dare jussi sunt. Cùm igitur de instituto, & substituto, si quid ab instituto legat testator, tantum abest ut videri debeat id fecisse substituti eximendi causâ, ut potius existimandus sit fecisse illius pariter onerandi, quoniam substitutus tenetur ex instituti persona, utpote in locum ejus substitutus.

Sed hæc solutio displicet; quia apertè Paulus in dict. l. *si plures*, loquitur de hæredibus plurium graduum, idest de institutis & substitutis. Quapropter Osuald. in dict. cap. 29. lit. E. prædictam legem *si plures*, ita accipiendam esse opinatus est, si sic nominatim damnet testator hæredem primi gradus, ut inde appareat eum nolle sequentem gradum onerare. Quam solutionem in effectu videtur tradidisse Paul. Castr. in l. *licet* 74. n. 4. circa finem, ff. de legat. 1. Sed certè huic solutioni acquiescere non possum. Moveor quia ante versiculum itaque, posuit J. C. duas legandi formas, quibus

quibus hæredes omnium graduum ad legatorum præstationem adstringuntur. Prima si testator dixerit: *Quisquis mihi hæres erit*, & ut doceat formulam, quæ testator uti debeat, ne omnes gradus, sed aliquos comprehendat, docet nominatim damnare debere. Unde rectè concluditur textum dicere gravamen non esse repetendum ad omnes gradus, si nominatim aliqui damnentur, demonstrans solummodò ex gravamine nominatim posito denegari repetitionem ad alios gradus. Non rectè ergo Osuald. addidit, ita nominatim debere gravari primi gradus hæredem, ut inde appareat sequentem gravare noluisse, quasi quod alio superaddito opus sit ad significandam testatoris voluntatem.

113 Minus audiendus est Fachineus *controvers. lib. 5. cap. 39. vers. ad primum*, qui intelligit textum hunc de jure vigente ante rescriptum Severi Antonini; quippe quod hujus legis author est Paulus *lib. sing. de forma testam.* qui Jurisconsultus Alexandri Mammæ temporibus floruit, & ejusdem Alexandri Principis fuit Consiliarius, & Papiniani Prætorio Præfecti cum Ulpiano assessor, ut testator Lampridius *in illius vita*, & constat *ex l. lecta, ff. de reb. credit.* & Ulpiano vita functo in ejus locum subrogatus, & Prætorio Præfectus factus est ab Helio-gabalo, ut refert Cuiac. *in ejus vita*, quàm scribit ante recitationes ad ipsius quæstiones. Ex quibus apparet vixisse post rescriptum Severi, sicut Ulpian. & Papinian. ipsius collegæ: notatque Faber *conjectur. lib. 4. cap. 13. sub num. 6.* Carvalh. *in cap. Raynald. de testam part. 3. num. 82.* & sine dubio probatur ex textu *in dict. l. Civitatibus 122 §. lucius Titius*, de cujus intellectu jam supra diximus à num. 63. ubi cum ageret de legato à duobus hæredibus nominatim relicto, cum solus unus existeret, ab eo repetit partem legati, quam alter si hæres extitisset, præstare tenebatur: & satis stultè se gereret Consultus, si cum ageret de consilio testatoris præstando secundum jus antiquum responderet.

115 Quapropter omissis alijs interpretationibus respondendum existimo Con-

sultum Paul. *in dict. l. si plures*, non de illo tractare, an portio deficiens cum onere accrescat, vel devolvatur ad substitutum; sed potius docere, quo casu pluribus vel ejusdem gradus, vel diversorum hæredibus existentibus, legata vel à quibusdam eorum, vel ab omnibus debeantur? Et respondet Consultus, si testator scripserit: *hæres meus, vel quisquis mihi hæres erit*, omnes hæredes obstrictos esse oneribus, & legatis; atque ideò si voluerit, non omnes hæredes, sed aliquos ex his legatorum præstatione onerare, nominatim damnare debere. Et ita fingendæ est species: Titius tres instituit hæredes, eisque tres dedit substitutos vulgares; si voluerit omnes hæredes gravare, tam primi, quàm secundi gradus, sufficet dicere: *Hæredes mei danto*, vel, *Quisquis mihi hæres erit dato*. Cum enim tam instituti, quàm substituti sint hæredes, omnes in suo casu, & gradu remanent gravati. Quod si noluerit omnes gravare in primo gradu, debet duos nominatim gravare, utpote si dixerit (cum Petrum, Franciscum, & Antonium institueret) *Petrus & Franciscus centum præstate Titio*, clarum erit, Antonium non gravatum intelligi; & sic similiter si noluerit non gravare omnes in secundo gradu (cum Joannem, Josephum, & Didacum substitueret) debet dicere, *Joannes & Josephus centum præstare*; & tunc in aperto erit, quod Didacus in gradu substitutionis non præstabit. Vides ergo, quomodo Paul. hic nihil nostram resolutionem dicat: quia non negat deficientes portiones illorum, qui nominatim sunt gravati, ad cæteros cum onere pervenire, vel ad illorù substitutos, cum de hoc non agat, & solummodò tractet de ea specie, in qua omnes extitere hæredes, sive in primo, sive in secundo gradu. Et hic sine dubio est vetus, & sincerus hujus legis sensus, quem tradidit (licet non ita explicuerit) Valencia *ubi supra, cap. 4. num. 10.*

Ad tertium argumentum deductum *ex l. 1. §. id quod ex substitutione 13. ff. ad l. Falcid.* respondetur, textum manifestè retorqueri in oppositum, & expressissime

fissimè probare legata nominatim relicta repetita intelligi à cohærede, & substituto. Si enim non repeterentur, & corruerent, ut adversarij dicunt, satis stultè quæreret Paulus, utrum augerentur nunc? Cùm ergo inquirat, an augeantur legata nominatim relicta? satis apertè ostendit, ea repetita censerì, ut benè notat Carvalh. in c. Raynaldus, de testam. 1. part. n. 81. Valenc. in dict. tract. 1. c. 7. n. 13. & notandus est Fachin. d. c. 39. vers. ad l. primam, qui malè dicit textum hunc neutri opinioni favere.

118 Sed quia textus hic contributionum materiam agit, quæ maximè affinis est repetitionum legatorum materiam, de qua noster hic est tractatus, operæpretium erit aliquantulum textum hunc in d. §. id quod ex substitutione, expendere. Ad illius verò rectum intellectum percipiendum animaduertendum est, quod si testator plures hæredes instituerit, quilibet ex sua portione poterit falcidiam deducere, licèt alterius cohæredis

119 portio non sit gravata, l. in singulis 76. ff. ad l. Falcid. §. & cum quæsitum, Inst. eodem, Donel. lib. 8. comment. cap. 23. in princip. Cujac. lib. 4. observ. 35. Pichard. in dict. §. & cum quæsitum, per totum. Hoc

120 tamen intelligendum est omnibus hæredibus existentibus. Sed si unius cohæredis portio deficiat & ad cohæredem devoluatur, tunc distinguendum est cum Gaio in l. quod si alterutro 78. ff. eodem tit. ad l. Falcid. nempe ut si illius, qui hæres extitit, portio exhausta fuerit, adjuventur legatarij per deficientem portionem non oneratam, & confundantur partes, partiumque legata contribuantur. Si autem pars deficiens exhausta sit, cùm agnita portio non fuerit gravata, partium & legatorum separatim ratio habeatur, ut perinde in portione deficiente lex falcidia locum habeat, ac si ad eam ipsam pertineret, à quo defecta est: quod Interpretes ita solent explicare dicentes, quod quoties portio integra accedit portioni onerata, augeantur legata: quoties verò integra portio onerata adjungitur legatarijs, non proficiat. Sed ita in hoc casu in

121 singulis portionibus falcidia imponatur,

quemadmodum in singulis hæredibus solet poni, l. 11. §. si cohæredis 14. l. in ratione 11. §. quæsitum 7 ff. ad l. Falcid. Ratio est, quia legata quæ deficiunt, & apud hæredem remanent, cæteris legatarijs proficiunt, & hæredi in quartam imputantur, d. l. quod si adultero, vers. quia & 122 legata. Eodem ergo modo pars hæreditatis, quæ accrescit, proficere debet ipsis legatarijs, & in quartam hæredi imputari, cùm jure hæreditario capiatur, l. quod bonis 13. §. fructus, l. quod autem 74. l. in quartam 90. ff. ad l. Falcid. & quamvis hæc ratio prima fronte videatur posse applicari etiam illi speciei, in qua pars 123 exhausta accrescit; nihilominus ratio diversitatis in eo consistit, quia non potest eadem portio locum principalis & locum accessionis obtinere, l. cum qui ædes, ff. de usucap. unde cùm pars deficiens, quæ agnitæ portioni accedit, accessio sit, principalem augere, vel replere commodè valet; ipsam autem per principalem portionem augeri aut repleri absurdum esset, cùm ex eo sequeretur principalem rem accessionis jus sequi, & illius esse accessionem, contra regulam textus in l. quod per manus 10. ff. de jur. codill. l. in rem 25. §. in omnibus, ff. de rei vend. l. cum aurum 19. §. simili modo, & §. perveniamus, ff. de auro & argent. legat. 124 Quam rationem differentiæ post Cujac. lib. 29. questionum Papin. in l. in ratione 11. §. quæsitum, ff. ad leg. Falcid. perpendit Valenc. ubi supra, c. 7. n. 4. Hoc in partibus jure accrescendi conjunctis apud omnes constat, traditque Bart. in dict. l. 125 rationem, §. quæsitum, vers. aut portio gravata, & l. qui fundum 86. §. ult. n. 4. ff. ad l. Falcid. & ibidem Alexander Duaderen. ad tit. de l. Falcid. c. 8. Doctissimus Ant. Govean. ad eum tit. in l. 1. §. si cohæredis, Donel. lib. 8. comment. c. 23. vers. & hæc ita, & vers. sed de utraque parte, & ibi Osuald. in notatis, lit. A. Cujac. lib. 4. observ. 35. & lib. 29. qq. Pap. in d. l. in ratione 11. §. quæsitum, Faber lib. 4. conject. c. 13. n. 2. explicatque benè Carvalh. in c. Raynaldus, de testam. p. 3. à n. 70. usque ad 74. expenditque subtiliter Valenc. ubi supra, c. 7. à n. 1. cum seqq.

Punctum tamen difficultatis est, quid 126 dicen-

dicendum sit, si cohæres vulgariter fuerit cohæredis substitutus, an scilicet fiat confundendæ & commiscendæ portiones, an verò separandæ quæ habentur ab institutione, & à substitutione, ut habeat locum, vel cesset falcidia? Qua in re una docet opinio; quod siue portio deficiens sit onerata, siue integra, & siue non onerata, contribui debeant legata, & portiones confundi, & commisceri: docent Bart. *in d. l. qui fundum*, §. *qui filium*, & ibidem Alex. Govean. *in d. l. 1.* §. *ad quod ex substitutione*, Anton. Fab. *d. cap. 13. n. 3.* Cujac. *lib. 61. Digest. Juliani*; *in l. qui fundum*, §. *qui filium*, ff. *ad leg. Falcid.* Carvalh. *ubi supra*, n. 75.

127

128 Altera verò opinio tenet non commiscendas esse portiones, neque legata debere contribui, si portio quæ accedit onerata sit; illa autem cui accedit, integra fuerit, etiamsi ex vulgari substitutione accedat. Hanc tenet Cujac. *dict. lib. 4. observ. 35.* & *lib. 29. quæst. Papinian.* *in d. l. in ratione*, *dict. §. quæsitum*, Donel. *dict. cap. 23. d. vers. Sed de utroque*, &

129 ibi Osuald. *lit. D.* Sed in conflictu harum opinionum primam tenendam existimo. Moveor textu expressissimo *in l. qui fundum 87. §. qui filium*, ff. *ad leg. falcid.* hæc est species. Testator filium suum impuberem, & Titium æquis partibus hæredem instituit, à filio totum semissem legavit, à Titio nihil, & Titium filio substituit. Titius ex institutione adiit, & impubere filio mortuo, ex substitutione hæres extitit. In hac specie quæsitum est, an solida legata præstare debeat Titius. Ratio dubitandi est, quia in hac præfata specie pars onerata parti non oneratæ non accessit, & ut supra jam vidimus, quando pars onerata parti non oneratæ accessit, non fit contributio. Sed contrarium respondet Consultus, ac refundendas esse portiones docet, & legata in contributionem ventura, si filius antequam patri hæres extitisset, decessisset, id est si Titius successerit ex substitutione vulgari comprehensa in pupillari, *l. jam hoc jure 4. ff. de vulg.* ea elegantissima ratione, quia confusi duo semisses id effecerunt, ut circa legem Falcidiam totius assis ratio habe-

retur, & solida legata præstarentur. Ecce ergo textus expressus in quo pars onerata accedens ex substitutione vulgari non onerata ita operatur confusione semissium, ut proficiat legatarijs ipsa accretio.

Neque textus adeò apertus potest admittere restrictionem Donelli *ad c. 23. vers. una hic exceptio est*; cum non possit dari differentie ratio congruens inter illum casum, in quo fit locus substitutioni vulgari per mortem deficientis in vita testatoris, vel post mortem ipsius, aut quando deficit per repudiationem.

Multoque minus admittenda est solutio Cuiac. *in dict. observ. 35.* subintellegentis in hac specie Juliani generalem repetitionem legatorum, id enim solummodò poterit inservire ad repetenda legata, etiam nominatim relicta ante Severum, quando floruisse agnoscimus Julianum; sed nihil valere potest ad denegandam falcidie deductionem, qua uti poterat ille alter cohæres deficiens, si hæres extitisset, vel adiisset: quod pungit Fab. *in d. cap. 13. n. 4.*

Moveor etiam sequenti ratione, quia ille qui ex parte hæres institutus cohæredi, si hæres non erit, substituitur, similis est ei qui ex parte hæres institutus est purè, & ex parte sub conditione *d. l. 1. §. quod ex substitutione*. Sed in ea specie, in qua quis ex parte purè, & ex parte sub conditione hæres instituitur, portiones commisceantur, & legata contribuuntur, *l. in ratione 11. §. quæsitum*, *d. l. qui fundum 87. §. si tu ex parte 3. ff. ad leg. falcid.* Ergo similiter commisceri debent partes, & legata contribui, quando cohæres alteri cohæredi substituitur. Rationem autem differentie assignant, quos sequimur DD. inter jus accrescendi, & jus substitutionis; quòd per accretionem ipso jure absque expresso iudicio testatoris pars gravata pertinet ad cohæredem. Meritò ergo non juvabitur per alteram partem non gravatam. At quando ad eum pertinet jure substitutionis, ei acquiritur expresso testatoris iudicio. Rectè ergo portiones confunduntur, & legatis juvabitur per alteram partem non exhaustam.

- 135 His sic notatis jam fas est accedere ad interpretationem textus *in d. l. 1. §. id quod ex substitutione*, quem pro tertio argumento adduxerunt DD. Docet ergo Paul. in eo textu, id quod ex substitutione cohæredis ad cohæredem pervenit, proficere legatarijs: *Is enim hæres* (verba sunt Consulti) *similis est ex parte purè, ex parte sub conditione hæredi instituto*: quod est conforme à nobis supra, & modò traditis. Postea ait: *Sed ea quæ ab eo legata sunt, si omiserit hæreditatem, non augentur*.
- 136 Hic loquitur in casu contrario, nempe quando pars gravata advenit parti non gravatæ: & in hoc versiculo fundantur Cuiac. Donel. & Osuald. *in locis supra citatis*, ut existiment partem gravatam advenientem etiam jure substitutionis vulgaris, non commisceri cum non gravata, ut legata contribuantur; quia opinantur in dicto versiculo retinere Consultum thema, de quo in principio egerat, ubi loquutus fuit de parte alteri adveniente jure substitutionis. Sed cum in contrarium sit expressissimus textus à nobis supra ponderatus *in dict. §. qui filium*, omisso Cuiac. *ibi*, placet magis interpretatio Fabri *in dict. cap. 13. Goveani in dict. l. 1. §. id quod ex substitutione*, quam sequitur Valenc. *dict. cap. 7. n. 10.* videlicet partem hanc, de qua loquitur dictus versiculus *sed ea*, gravatam alteri non gravatæ non advenire jure substitutionis, sed solummodo jure accrescendi, quia non est ponenda species de duobus hæredibus, v. g. substitutis ad invicem, sed tantummodò in duobus hæredibus, quorum unus tantum alteri fuit substitutus; & ideò in priori specie agit Paul. de parte adveniente jure substitutionis, quia nempe testator institutum gravatum substituit cohæredi non gravato, non verò etiam vice versa non gravatum substituit gravato: & ideò pars gravata *in dict. vers. sed ea*, advenit non gravatæ jure solummodo accrescendi: quapropter rectè docet Consultus legata nominatim relicta à gravato repudiante non augeri; augeri verò illa quæ relicta sunt verbis generalibus, *quisquis mihi hæres erit, &c.*
- 138 Et ratio differentiæ est, quia legata

nominatim relicta repetuntur à cohærede virtute rescripti Severi. Ergo cohæres sic debet ea præstare, quemadmodum ea præstaret hæres eis gravatus. Cum ergo cærti juris sit, hæredem gravatum legis Falcidiæ beneficio uti potuisse, meritò cohæres qui in ejus locum reponitur, eodem beneficio uti potest: non sic autem quando legatum relinquatur per verba, *quisquis mihi hæres erit*, quia absque beneficio rescripti similia verba tenent & cohæredem & substitutum; & ideo cum in rei veritate cohæres ex portione sua non gravata quartam habeat, non est cur utatur falcidiæ beneficio: sentit Valenc. *ubi supra*, expenditque latius Carvalh. *in d. 3. p. à n. 79. à vers. Quapropter*. Concluditur ergo manifestè ex dictis textibus minimè facere pro contraria opinione, quin immò probare manifestissimè legata etiam nomine proprio relicta intelligi repetita; non enim inter modum legandi nomine proprio, vel generaliter distinguit Consultus ad repetitionem concedendam, vel negandam, sed solummodò ad contributionem imponendam, vel non.

Neque contra supradictum intellectum potest obiici *§. si cohæredis*, qui totus est de jure accrescendi, & immediatè adiungitur *§. id quod ex substitutione*, antecedenti, ponderando omnino reddi superfluum contexturam dicti *§. Si cohæredis*, si *in d. vers. sed ea*, jam egississet Paul. de ea specie, in qua pars gravata accresceret non gravatæ. Quia respondendum est sequentem *§. si cohæredis*, prosequutum fuisse Consultum ad comprobendam resolutionem, quam præstiterat *in d. vers. sed ea*; aitque in ea questione quando portio exhausta accrescit, integrè dissensisse Cassianos & Proculianos; quia Cassius cum discipulis confundendas esse portiones existimabat, Proculus cum discipulis contra, id est non confundendas; in qua specie & Julianum Proculo assensisse refert, ut probet adeò Cassij incertam esse resolutionem, ut ab ea discederet Julianus, cum aliàs Cassianus esset; & ait Paul. *Quam sententiam probabiliorē esse putō*: quibus apertè ostendit confirmare id, quod

143 quod prædixerat *in dict. vers. sed ea*. Sed tunc videntur facere ingentem difficultatem sequentia verba, *Sed & Divus Antoninus judicasse dicitur commiscendas esse utrasque partes in computationem legis falcidiae*. Quibus videntur destrui omnia, quæ usque huc dicta sunt, & præcipue tradita suprâ, à n. 120. quare Jacob. Cuiac. *lib. 4. observ. 35.* negationem in hoc versiculo deesse existimavit, & legendum putavit, *non commiscendas*. Et fanè meo videri, si aliquis extat locus, qui corruptus apparere possit, ille est: tum quia post suam scriptam sententiam Paul. Antonini sententiam refert, per hæc verba: *Sed & Divus Antonin.* quæ videntur movere in confirmationem illorum, quæ antecederent, & immediatè dixerat: tum etiam ne videatur plenum audacia, Jurisconsultum contra Imperatoris sententiam de jure respondere: non licet tamen verba textuum corrigere, neque mendam aliquod in illis supponere, multoque minùs admittere.

144 Quapropter dictum sensum præfati §. *si coheredis*, *in d. vers. sed & Divus*, dicendum illum esse, ut asserat Paul. Proculi, & Juliani sententiam sequendam, etiamsi pro Cassij opinione judicasset Antoninus, ut ostendat decreta Principum, vel in controversijs sententias, neque jus facere, neque pro lege haberi, nisi invaluerint, usque recepta sint. Et ita textum hunc explicuit etiam ipsemet Cuiac. *lib. 5. observ. 14. & lib. 29. question. Papinian, in l. in ratione 11. in §. quæsitum, ff. ad l. Falcid. Anton. Fab. lib. 4. conjectur. c. 13. Duar. ad leg. Falcid.*

145 c. 8. neque novum est, Paulum decretis Principum non assentire, immò cedere potius juris rationi, & dictamini, ut constat *ex l. Similius 38. ff. de minorib. ibi: Imperator autem motus est. &c. junctis illis alijs verbis, ibi: Dicebam posse magis, &c. l. Clodius 97. ibi: Promuntiavit Clodium intestatum decessisse. ff. de acquir. hæred. juncto Cuiac. in l. si duobus 12. ff. de bonor. possess. contra tab. ibi: Quod tamen Paulus ait esse iniquum*. Itaque refert tantum, non verò approbat Imperatoris rescriptum, *l. Paulo Callimacho 27. §. 1. ff. l. g. 3. l. ult. ff. de jur. fisc. & hæc suffi-*


cient pro solutione tertij argumenti in oppositum adducti: reliqua quæ pertinent ad totalem explicationem materiæ contributionis legatorum ad excludendam falcidiam in DD. suprâ citatis videbis.

Ad quartum argumentum deductam *ex l. 1. Cod. si unius. caus. testam. respondeo cum Cuiac. in recit. ad illum text. vers. Et secundum hunc ordinem*, dictam legem fuisse priorem illo rescripto eorundem Imperatorum, de quo fit mentio *in dict. l. licet*, quia fuit emissa hæc lex initio Imperij Severi, & Antonini, ut subscriptio Consulium demonstrat, *Dexter & Priscus*. Ergo tempore editæ hujus legis nondum legato relicta nominatim ab instituto censebantur repetita à substituto: quare in ea consideratur fraus, & illius participatio, & præmium, vel quod defuerit, ut actio utilis legatarijs competat adversus hæredem substitutum: quæ si assequutus esset Fachin. *d. cap. 39. vers. Quæsitum est*, haud diceret se non

videre, quomodo textus hic faciat ad rem; multum namque reverà urget pro contraria opinione, si illius principij tēpus nos percipere non fecisset Cuiac. Ad ultimum argumentum de quo n. 149 8. & 9 à ratione, & ab autoritate respondemus meliores rationes vigere pro legato repetendo, etiam nominatim relicto, quales sunt supra positæ à num. 12. ut consideranti facilè patebit: & quod attinet ad autoritates DD. non sunt inferioris nominis, qui nostram resolutionem amplectuntur; immò secundum juris normas præcisè resolutio nostra in praxi sequenda est, ut constat ex allegatis suprâ, n. 64.

Neque quia frequentius ab speculativis DD. hæc sequitur resolutio, ideo minùs tenenda est in praxi, sed potius ex eo magis amplectenda, & sequenda, cum veritatem magis & melius discussam supponat: de quo vide Dian. *part. 1. tract. 13. de opinion. probab. resol. 5.* & de questione principali vide textum *in cap. officij, de test. Ramires de confirm. Ord. Divi Jacobi, cap. 11. num. 32. pag. mihi 52.* post hæc scripta visum, qui agit de legato relicto Episcopo.





## CAPUT CV.

An Nuntius nepos ex fratre teneatur patruo suo Episcopo alimenta præstare, vel è contra? Vel frater Nuntius teneatur alere fratrem Episcopum?

## SUMMARIUM.

- 1 Nuntius frater teneatur alere fratrem Episcopum pauperem.
- 2 Quid in nepote Nuntio respectu patru Episcopi: & ponderatur textus in l. Titio 71. ff. de condit. & demonstrat. pro favore nepotis contra patruum. Vide tamen ejus ratum intellectum à n. 29. usque ad num. 35.
- 3 Correlativorum eadem est ratio.
- 4 Ponderatur ad idem intentum textus in l. si quis à liberis 5. §. utrum 20. ff. de agnosc. liber. & vide à n. 36.
- 5 Patruus comparatur patri, & ex eo sic denominatur.
- 6 Ponderatur textus in l. ex duobus 27. §. final. ff. de neg. gest.
- 7 Ponderatur etiam textus in §. cum filius 6. Inst. de hæred. quæ ab intest. defer.
- 8 Ponderatur etiam textus in dict. l. si quis à liberis, §. utrum 2.
- 9 Deficiente jure scripto recurritur ad æquitatem.
- 10 Deficiente lege sufficit naturalis ratio.
- 11 Ponderatur textus in cap. 1. de cohabit. clericor.
- 12 Ponderatur etiam textus in cap. cum quidam 12. §. final. de jurejur.
- 13 Recurritur ad jus canonicum civili jure deficiente.
- 14 Citantur DD. qui hanc partem affirmativam tinentur.
- 15 DD. qui sic pro hac parte judicatum referunt, allegantur.
- 16 Resolvitur pars negativa, & pro ea ponderatur textus in l. 1. §. 2. vers. sed nonnullos, ff. de tutel. & rat. distrach. & alia jura, & num. 17.
- 19 Ponderatur lex cum plures 12. §. final. ff. de administrat. tut. ubi quod valet argumentum de dote ad alimenta.
- 20 Lex qui filium 4. ff. ubi pupil. educ. deb.
- 21 Ponderatur etiam textus in l. si instituta 27. §. de inoffic. 3. ff. de inoffic. testam.
- 22 Citantur DD. qui hanc partem sequuntur.
- 23 Ostenditur Merendam hanc eandem resolutionem sentire.
- 24 Quid in hac materia singulariter dicat Merenda, proponitur.
- 25 Quot DD. sint citati pro nostra resolutione.
- 26 Pro eadem parte allegantur etiam DD. Theologi.
- 27 Sic multoties judicatum in varijs Senatibus.
- 28 Et in supremo supplicationis Senatu.
- 29 Respondetur ad primum argumentum deductum ex textu in l. Titio centum, ff. de condit. & demonstrat. & n. 31. 33. 34. & 35.
- 30 Non est præstanda cautio, quando modus respexit solius legatarij commodum.
- 32 Fortiores sunt termini in quibus patruus à nepote petit alimenta, quam vice versa.
- 36 Respondetur ad secundum argumentum deductum supra.
- 37 Quid comprehendatur sub nomine Obsequium.
- 38 Sensus legis 1. ff. de parricid.
- 39 Respondetur ad tertium argumentum deductum supra.
- 40 Deficiente conditione deficit actus.
- 41 Ponderatur textus in l. si patrono 15. Cod. de negot. gest.
- 42 Respondetur ad quartum argumentum deductum supra.
- 43 Consideratur textus in l. fratri, Cod. de inoffic. testam.
- 44 Respondetur ad quintum argumentum.
- 45 Æquitas non attenditur ubi scripta non est.
- 46 Respondetur ad Sextum argumentum.

- 47 Interpretatur textus in cap. i. de cohabit. Clericor. & num. 48.
- 49 Clericus quæ sibi restant, in pauperes debet erogare.
- 50 Interpretatur textus in cap. cum quidam, §. final. de jurejur. & n. 51. & 52.
- 53 Respondetur auctoritatibus Doctorum, qui ex adverso citantur, & n. 56. & 57.
- 54 Adducitur casus specialis in nostra specie, & num. 55.
- 58 Stilus modernus in judicando sequendus est.
- 59 Utrum nepos ex fratre teneatur patruo alimenta præstare, tanquam possessor maioratus aviti? & num. sequentibus.

**N**untius Apostolicus, aut alius frater tenetur alere Episcopum fratrem pauperem, & alimenta ei præstare, ex regula legis 4. ad fin. ubi Gloss. ultima, ff. ubi pupil. educar. debeat, cum alijs, de quibus Boss. de aliment. obligat. cap. 8. §. 1. num. 490. & seqq. quibus addo Soufam de Maced. decis. 35. Giurb. decis. 5 n. 3. & 46. Cancer. var. tom. 1 cap. 16. n. 24. Salgad. in labyrinth. credul. part. 1. cap. 24. num. 141. Castill. lib. 5. cap. 104. & 164. num. 51. & de aliment. lib. 8. cap. 55. num. 6. Phœb. part. 1. decis. 46. num. 2. Themud. decis. 317. ubi loquitur etiam de redditibus beneficij & maioratus, aut emendatæ: Molin. de primog. lib. 2. cap. 15. num. 61. Boss. sup. cap. 13. num. 815. & seqq. Aug. Barb. in l. 1. num. 18. Cod. de alend. liber. Gratian. cap. 259. num. 22. Tondut. 99. civil. cap. 38. num. 13. Larrea decis. 47. qui etiam agunt quando, & quomodo teneatur.

2 Quoad nepotem maior est controversia, in qua videbatur dicendum, nepotem Nuntium patruo Episcopo alimenta præstare teneri, primò ex textu in l. Titio centum 71. ff. de condit. & demonstrat. cujus species hæc est. Titio centum ita ut fundum emat legata sunt; quæsitum fuit à Papiniano, an teneatur Titius cavere de emendo fundo? Respondet ex Sixto Cæcilio, non teneri, quoniam ad ipsum dumtaxat inplemen-

tum legati rediret. Sed si filio fratris alumno minùs industrio prospectum esse voluit, docet Jurisconsultus Titium cavere teneri, ut fundus comparatur, & postea non alienetur, ex ea ratione, quia interesse hæredis credendum est. Sed sic est, quod aliud in specie proposita interesse assignari non poterit, nisi quia hæres ex tali legato à præstatione alimentorum liberatur. Egregiè probat hic textus patruum alimenta nepoti præstare teneri, sive supponamus alumnum defuncti consobrinum, sive ipsius hæredis: namque in priori consideratione liberatur hæres ex obligatione defuncti, quem repræsentat: in secunda ex propria ipsius obligatione. Cum igitur correlativorum eadem sit ratio & disciplina, l. final. ff. de acc. pt. cum alijs multis de quibus Barb. axiom. 61. à num. 1. sequitur necessariò quod quemadmodum patruus nepoti alimenta præstare tenetur; ita nepos patruo tenebitur.

Secundò probari videtur ex Ulpiano 4 in l. si quis à liberis 5. §. utrum 20. ff. de agnoscend. liberis. Prædixerat Jurisconsultus in §. solet 18. libertum teneri suo patrono alimenta præstare: modò interrogat in hoc §. utrum 20. an teneatur etiam libertus filijs patroni alimenta præstare? Et patet, causâ cognitâ, judices, & liberos quoque patronorum alendos decernere debere; non quidem tam facile ut patronos, sed nonnunquam & ipsos. Et ratio decidendi assignatur in sequentibus verbis: *Nam & obsequium non solum patronis, verùm etiam liberis eorum debere præstari.* At verò hæc eadem ratio militat in nepote respectu patruum, cui etiam obsequium debet; patri namque comparatur, ut constat ex textu in l. 1. ibi: *Patruum, avunculum, &c. ff. ad leg. Pompei. de parricid.* Et id importat patruum nomen, idest quasi pater: notat Osuald. ad Donel. lib. 9. comment. cap. 4. in notatis lit. C. Solorzan. in tract. de parricid. crimin. lib. 2. cap. 2. Ergo ex ratione hujus textus videtur probari ea parte nepotem patruo alimenta præstare teneri.

Tertiò ex textu in l. ex duobus 27. §. 6. ff. de neg. gest. loquitur illius species de

de quodam patruo, qui alimenta præstitit nepti ex sorore; afferitque Modestinus ea alimenta patrum repetere non posse. Videtur ergo supponere, patrum teneri illi nepoti alimenta præstare, & ob id si præstiterit, repetere non posse: ergo ex supradicta correlativorum regula eandem habebit obligationem nepos respectu patrum.

7 Quartò ponderari potest textus in §. *cum filius* 6. *Inst. de hæredit. quæ ab intest. defer.* ubi appellatione fratris fratrum filij comprehenduntur. Cùm igitur in comperto sit, & apud omnes indubitatum, fratrem alere teneri fratrem, *Surd. de alim. tit. 1. quæst. 25. à num. 1.* cum alijs de quibus *sup. num. 1.* videtur dicendum, quod & frater filium fratris alere tenebitur; & per consequens ex rationis identitate, quod & filius fratris patris fratrem alet.

8 Quintò ponderari etiam potest textus in *diçt. l. si quis à liberis, §. utrum* 20. *ff. de agnoscend. liber.* ubi demonstratur jus alimentandi erga consanguineos positum esse in æquitate, sanguinisque qualitate. Unde videtur dicendum, quod etiam admissio, quod non adsit lex, cujus virtute, & dispositione hæc sint patruo decernenda alimenta, æquitate tamen ac sanguinis conjunctionem ad id adstringere. *Æquitas*, quia in subsidium juris scripti ad eam recurritur, tanquam ad jus secretum, legemque secretam; cùm ratio naturalis quasi lex quædam tacita sit; & hæc quidem debet sufficere,

9 *l. scire oportet, ff. de excus. tutor.* Quapropter lege deficiente ratio sufficit naturalis, *cap. secundo requiris, in fine, de appellat.* sanguinis scilicet conjunctio, & maximè tam arcta: sæpe namque hæc obligat ad id, ad quod juris rigor non extenditur, *l. 1. §. Largus, ff. de success. edict.* ibi: *In honorem sanguinis, l. Aurelius 28 §. Titius testamento, ff. de liber. leg.* ibi: *Propter naturalem affectum.*

11 Sextò, quia etsi deficiat jus civile, videtur tamen clara juris Canonici dispositio. Primò in *cap. 1. de cohabit. clericor. & mulier.* quò loci prohibetur, quod Sacerdos fœminam in domo retineat, quamvis sit mater, amita, aut soror: sed

si qua de his necessitatem habuerit, videbitur quod Presbyter illam habeat in vico, aut in villa longè à conversatione sua, & ibi ei, quæ sunt necessaria subministret: ergo clarè disponit textus, quod amitæ nepos præstet alimenta: consequenter ergo idem erit dicendum respectu patrum, qui cum amita in eodem est gradu; ac proinde disponit Pontifex ad filios fratrum erga patrum, vel amitam alendi obligationem extendi.

Secundò videtur probari idem intentum ex textu in *cap. Cùm quidam* 12. §. *final. de jurejur.* ubi disponitur absolvendum esse à juramento jurantem de non alendo conjuncto, ei imposità competentem penitentiam, quòd malè juraverit. Unde ostenditur, conjuncto incumbere conjunctum alere, & in eo juramenti malitiam consistere, eo quod vergeret adversus prædictam obligationem. Et cùm adsit hæc juris canonici dispositio, ei prorsus obtemperare debemus, jure civili deficiente; sicut enim jus canonicum in suis decisionibus sequitur jus civile, *cap. pastoralis, de caus. posses. & propriet. cap. 1. & 2. de novi oper. nunciat.* sic etiam jus civile non dedignatur Sacros Canones imitari, *Auth. ut Clerici apud proprios Episcop. §. final. Morl. in empor. 1. part. tit. 1. de legib. in prælud. num. 10.* Hæc sunt argumenta, quæ in specie proposita meo videri confiterari possent pro patruo Episcopo adversus nepotem Nuntium.

Quod si ab autoritate argumentemur, stant gravissimi DD. qui partem hanc affirmativam enixè sequuti sunt. Ita tenuerunt *Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 2. n. 18.* & post multos *Giurb. decis. 5. num. 14.* *Monter. à Cueva decis. 16. per totum, Fachineus controvers. lib. 12. cap. 61. vers. Contrariam sententiam, Castil. lib. 4. controvers. cap. 61. num. 53.* *Boss. de aliment. obligat. cap. 8. §. 25. à n. 578. cum seqq. Themud. 3. part. decis. 300. num. 5.* *Castil. de aliment. pag. 112. & 673. lib. 8. cap. 27. & cap. 66.* *Salgad. in labyrinth. creditor. pag. 205. num. 134. & 135. part. 1. cap. 24.*

Quod si à judicatis rationes hauriamus,

mus, sic multoties iudicatum extat, ut in Aragoniæ Senatu refert Cueva *dict. decis.* 16. & in supremo Consistorio Regni Siciliae communi omnium voto Giurb. *ubi supra, dict. num.* 14. & in supremo Castellæ Senatu Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 15. num.* 67. *vers. his tamen non obstantibus*; & in nostro supremo Senatu Themud. 3. *p. decis.* 317.

16 Nihilominus contraria opinio & verior, & communior est, & in hoc Regno præcisè sequenda, prout sequuta fuit semper in omnibus facti contingentijs. quidem probatur primò ex textu *in l. 1. §. 2. vers. Sed nonnullos, ff. de tutel. & rat. distrab.* ubi Ulpian. in transversalibus solam sororem numerat alienam: ibi: *Veluti si matri, aut sorori, quæ aliter se tueri non possunt, tutor alimenta præstiterit, &c.* sic demonstrans alendi obligationem ultra eum gradum in transversalibus non extendi. Rectè ergo non fit extensio, neque ut patruus alat nepotem, nec ut nepos patrum. Concordat textus *in l. qui filium 4. ff. ubi pupil. educ. debeat. Novel. quib. mod. natural. efficiunt. sui, §. Si quis igitur habens, & alij similes, ex quibus communiter desumitur, jus alimentorum transversalibus competere ex jure, & sanguinis charitate; minimè tamen ultra fratres extendi.*

17 Pro quo etiam expendi possunt jura *in l. mutus 73. §. 1. ff. de jur. dot. ibi Aut ut egentem virum fratrem, sororemve sustineat.* Quò loci comprobatur obligationem alimentandi non extendi in transversalibus ultra fratrum gradum: *l. tutor 13. §. in solvendis 2. vers. Aliud est, ff. de administrat. & pecul. tutor. l. quamvis 20. ff. sol. matrim. ibi: Aut fratribus, aut parentibus consulere, &c.*

18 Secundò ponderatur textus *in l. cum plures 12 §. final. ff. de administrat. tutor in illis verbis: Sed non dabit dotem sorori ex alio patre natæ.* Ex quibus probatur, fratrem non teneri dotare sororem uterinam: & communiter validum est argumentum de dote ad alimenta, ut qui dotare non tenetur, non teneatur etiam alimenta præstare, ut deducitur ex textu

19 *in l. cum post 69. §. gener 4. ff. de jur. dot. juncta lege si cui 14. ff. de ann. legat.*

& ex Gloss. *in l. ob æs, Cod. de prædijs minor.* Euerard. *in loco de dote ad aliment.* plures apud Ozasc. *decis.* 124. *n. 3.* Tusc. *lit. A. concl.* 287. *num.* 174 Leon *lib. 1. decis.* 27 *num.* 5. Lara *in l. si quis à liber. §. idem iudex, n. 24. ff. de agnosc. liber.* Igitur supposità prædictà æquiparatione, idem circa alimenta dicendum est, nempe fratrem non teneri sorori uterinæ alimenta præstare: à fortiori ergo non tenebitur patruus sobrino, nec sobrinus patruo alimenta præstare, cum in remotiori gradu existant, ut in specie argumentatur Larrea *decis.* 47. *num.* 18 ubi asserit textum *in l. qui filium 4. ff. ubi pupil. educ. debeat, ibi: Sorori suæ, intelligi, & procedere in sorore ex utroque latere conjuncta, ut antea argumentatus fuerat insignis Doctor Rodericus Lopez à Veiga in lectione ad leg. jura sanguinis, ff. de reg. jur. in l. Titio centum, vers. Præterea uterina soror.*

Tertiò ponderatur textus *in l. si instituta 27. §. de inofficioso 3. ff. de inoffic. testam.* In ejus specie nepos contra patruum suum heredem scriptum pro portione egit, & obtinuit: appellavit patruus. Refert Ulpian. placuisse interim propter inopiam pupilli, idest nepotis, alimenta pro modo facultatum, quæ per inofficiosi testamenti accusationem pro parte ei vindicabantur, decerni. Demonstrat ergo satis Ulpian. patruum non teneri nepotem alere ex sua persona, ex propriaque obligatione, si quidem ut præstentur alimenta patria hereditatem considerat, ut eo respectu patruus tamquam patris hæres solummodò adstringatur.

Quod si voluerimus ab autoritate argumentari, hæc sine dubio opinio & resolutio communior est, necnon practiciabilior, & quæ nititur non solum maiori Doctorum, sed etiam famigeratorum numero. Ita tradunt Angel. & Joan. Imol. *in l. 1. ff. solut. matrim. & cum eis subtilissimus Costa lib. 2. selectar. cap. 20 num. 2.* loquens in patruo respectu nepotis, ibi: *Cum patruus filium fratris egentem non teneatur alere.* Afflicti. *in const. Reg. Sicil. lib. 3. rub. 18. num. 14.* Ripa *in l. 1. n. 86 ff. solut. matrim.* Odofred.

fred. in l. 2. Cod. de alend. liber. insignis Petr. Barbof. in l. 1. 4. part. num. 142. ff. solut. matrim. loquens tam in patruo respectu nepotis, quam in nepote respectu patruui, ibi: *Et per argumentum à correlativis neque sobrinus tenebatur alere patruum.* Valasc. solutus ad id allegari consult. 1. num. 11. vers. *Quod ultimum*, Garcia de expensis c. 3. num. 35. vers. *Sed verius, & receptius*, ubi appellat veriorē & receptiorē sententiam. Tusc. lit. A. concl. 287. num. 175. ubi etiam loquitur in patruo respectu nepotis, ibi: *Limita, quia patruus, & alij ultra fratres, neque ad alimenta, neque ad dotem tenentur.* Camil. Borel. in sum. decis. tit. 40. de vita, n. 27. Marcabrun. cons. 110. in princip. post alios Mieres de maiorat. 4. part. quæst. 28. sub num. 19. à vers. *& primogenitum*, ubi ait num. 20. se ita existimare verius & receptius in practica: & n. 31. ubi in specie, ibi: *Nec patruos, vel amittas.* Molin. de just. tract. 2. disp. 616. num. 8. circa finem, Spino in specul. testamentor. gloss. 19. in princip. num. 27. illos adducens. Uvesembec. lib. 1. cons. 50. num. 3. Guillelm. Benedict. in cap. Raynuntius, de testam. verb. *Dotem quam ei dederat*, num. 66. ibi: *Cum etiam non teneantur ad alimenta.* Et in ipsa specie nepotis respectu patruui, Franchi decis. 178. à num. 3. ibi: *Hoc tamen onus alimentorum non extenditur ad nepotem ex fratre scilicet ut alat patruum; non enim porrigitur ultra primum gradum, &c.* Marilian. decis. 99. ubi in iudicando ab hoc necesse recedendum statuit. Sylvan. cons. 33. à n. 12. à vers. *Quidquid tamen sit*, ubi refert communem esse sententiam: pluribus Mastril. decis. 85. à num. 29. cum alijs etiam Molin. lib. 2. cap. 15. num. 67. & quamvis in vers. *his tamen non obstantibus*, dicat contrarium iudicatum; attamen in seq. vers. *Sed quamvis*, asserit à communi hac opinione recedendum non esse: & sequuntur ibi addentes, tanquam communiorē & veriorē, in vers. *Non verò*, Fontanel. de pact. tom. 2. claus. 5. gloss. 3. num. 28. assignans eam rationem, quia id jure cautum non reperitur, etsi nostrum sit legis dispositionem extendere. Cum alijs etiam Gratian. c. 848. num. 17. ibi: *Quod*

*non est in casu nostro, cum simus in patruo, qui ad ista opera non tenetur.* Alijs etiam multis Giurb. ad stat. cap. 3. gloss. 3. part. 1. num. 64. vers. *patruus verò*; optimè Lar. in l. si quis à liberis, §. *idem rescripsit*, à num. 108. ubi de patruo erga sobrinum, & in sobrino erga patruum, à n. 125. à vers. *ex superiori*: eleganter, & omninò videndus qui loquitur in ipsissima specie de nepote erga patruum, Larrea 1. p. decis. 47. per totam, maximè à num. 15. quo in loco nihil videre desiderabis, quod ibi non videatur. Et sanè pro omnibus sufficiebat elegans prædictæ disputationis discursus, ut ampliùs hac de re nec dubitaretur. Eleganter, & omninò etiam videndus Salgad. in labyrinth. part. 1. cap. 24. à num. 153. ubi à num. 158. loquitur in terminis fortioribus, quando nempe frater dives alebat fratrem egenum, & obiit frater, qui alimenta præstabat. Quo in casu asserit filium fratris alimenta præstantis minimè patruo suo alimenta præstare teneri, nec illorum præstationem continuare à patre inceptam.

Hanc eandem resolutionem sentit<sup>23</sup> Merenda lib. 14. controvers. cap. 31. Quæstio hujus controversiæ fuit, an obligatio alendi in transversalibus ultra primum gradum extendatur? Quam dubitationem decidit regulariter loquendo negativè. Sentit ergo, quod nepos qui ultra primum consanguinitatis gradum est, minimè obligatur ad patruum alendum. Asserit tamen, quod si propinquus (& non loquitur limitativè ad gradum aliquem)<sup>24</sup> sit benemeritus respectu alterius propinqui, ut eum alat, quod tunc iudex provideat secundum suum arbitrium, & prudentiam: & sic intelligit verba illa textus in l. 5. §. *utrum*, ff. de agnoscend. liber. ibi: *Singulorum desideria iudicem perpendere oportet*, prout constat ex traditis num. 5. his verbis: *Ex his satisfaciunt fundamento partis adversæ, dicentis in legibus nostris non fuisse cautum, ut ultra fratrem teneamur alere aliquem ex ijs, qui nobis sanguine conjuncti sunt ex latere*; quia distinguenda est obligatio per modum regulæ constituta, ab ea, quæ religioni iudicis remittitur: de prima enim

enim id verum esse fateor ; de secunda  
verò contrarium probatur , *dict. §.*  
*utrum.* Inter has autem obligationes il-  
lud discrimen adest , quod frater habet  
fundatam intentionem adversus fra-  
trem divitem ; cæteri autem debent ju-  
dicibus ostendere, sese obsequio, neces-  
sitate , integrisque moribus meruisse  
subsidia vitæ ab eo obtinere , quem vin-  
culum sanguinis non obligat simplici-  
ter , sed ita demùm si probitate , & erga  
eum reverentiâ sese dignum commise-  
ratione reddiderit. Modò ad examen  
non revoco , an sit vera doctrina hæc  
Merendæ , necne : & solùm ex ea dedu-  
co, quod ad præsens punctum pertinet ;  
videmus namque ex verbis relatis Me-  
rendam cognoscere , & fateri , quod ul-  
tra fratrum gradum in transversalibus  
alendi obligatio non extenditur : & op-  
timè Carvalho *in cap. Raynald. de testa-*  
*ment. 2. part. num. 253. & 254.*

Et quia jam satis Doctorum numero  
fundata videtur nostra resolutio, adhuc  
pro coronide (cujus sanè sola authori-  
tas absque dubio abundè sufficit) addu-  
co doctissimum & sapientissimum magi-  
strum communem omni ævo condeco-  
randum Rodericum Lopez à Veiga *in l.*  
*jura sanguinis, ff. de reg. jur. in §§. & in*  
*25. l. Titio centum*, ubi eandem probat, & se-  
quitur resolutionem. Sunt ergo pro hac  
parte citati à nobis 32. DD. ultra per  
quam plurimos ab eo laudatos insignis  
notæ , & magni nominis. Quomodo igitur  
negari poterit prædictam resolutio-  
nem veriorē esse , communiorē , &  
practicabiliorem.

26 Et non solùm sequuta est à nostris Ju-  
ris Professoribus , verùm & eam ample-  
ctuntur Theologi , quos refero , ut per-  
cipiatur , neque in foro conscientiæ ne-  
potem respectu patrum , nec patrum  
respectu nepotis ad hanc præstationem  
teneri. Eam tenet Rebel. *de obligat. just.*  
*2. part. lib. 5. q. 4. num. 26.* Castr. Palauis  
*de just. commut. disp. 9. punct. 4. §. 2. n.*  
*4.* Fagund. *in 4. præcept. Decalog. lib. 4.*  
*cap. 16. num. 21.* optimè Fragos. *de re-*  
*gim Christ Reipub. part. 2. lib. 2. disp. 5.*  
*§. 3. n. 41. in vers. Nec refert*, ubi de so-  
brino respectu avunculi , vel patrum :

Pars II.

& melius omnibus citatis defendit Boss.  
*de aliment. cap. 8. num. 180. & seqq.* & ad  
contraria respondet.

Nec defunt etiam authoritates rerum 27  
judicatarum , quibus magis hæc quam  
sequimur fuleitur resolutio : sic per ea  
multoties judicatum in suis Senatibus,  
& Consistorijs referunt Franck. *dict. dec.*  
*178. à num. 2.* Sylvan. *dict. cons. 33. n. 12.*  
Mastril. *d. decis. 85. num. 30.* addentes ad  
Molin. *dict. lib. 2. cap. 15. d. num. 67. & 68.*  
*vers. Nos verò.* Lar. *in dict. l. Si quis à li-*  
*beris, in dict. §. idem rescripsit, num. 101.*  
Larrea *d. decis. 47. n. 21.* ubi specificè , &  
*num. 57.* & in hoc Regno indubitanter  
sequendum propter authoritatem Co-  
ryphæorum Jurisprudentiæ , qui illam  
sequuti , & amplexi sunt, nempe subtilis  
Costæ, insignis Barbofæ, Valafci, & præ-  
stantissimi magistri Veiga. Et sic quotidie  
judicatum extat. Sic judicatum fuit in 28  
supremo Senatu Supplicationis, 13. Maij  
an. 1656. in causa D. Joannæ à Castro  
cum nepote ex fratre D. Joanne Maf-  
charenhas, Senatoribus Petro Paulo de  
Souza , & Roderico Rodriguez de Le-  
mos : & in 6. Maij 1657. in causa Justæ  
Pinta Ribeira cum Hilario de Azevedo  
marito neptis dictæ Justæ , Senatoribus  
Manuele Delgado de Mattos , Michaele  
Zuzarte de Azevedo , & Michaele Pi-  
nheiro de Britto : idem judicatum est in  
lite Francisci de Figueiredo de Vasc.  
cum ejus patruo Roderico de Figueire-  
do , 24. Decemb. an. 1657. Senatoribus  
Melchioro Rego de Andrade, Petro Pau-  
lo de Souza , & Roderico Rodriguez de  
Lemos. Remaneat ergo firmissimam esse  
resolutionem , quam sequimur , & ve-  
riorem , & communiorē , & practicabi-  
liorem esse , & maximè hoc in Regno,  
ubi tot sententijs, totque & tantis Sena-  
toribus approbata, & sequuta fuit.

Restat ut argumentis in contrarium  
adductis satisficiamus. Et quidem non 29  
obstat primum deductum ex textu *in d.*  
*l. Titio centum 71 ff. de condit. & demon-*  
*strat.* In prima textus parte ponitur ca-  
sus, in quo agitur de quodam modali le-  
gato : & quamvis in eo regulariter lega-  
tarius præstare cautionem teneatur de  
modo adimplendo , juxta textum *in l.*

quibus diebus 40. §. *Thermus* 5. ff. de con-  
dit. & demonstrat. cum similibus, non ita  
est quando modus totaliter respicit  
commodum, & legatarij favorem; tunc  
enim haud tenetur cautionem præstare.  
Ita procedit prima hujus textus pars, &  
explicant latè Gomez 1. tom. *variar. cap.*  
12. à num. 70. Molin. de just. tract. 2. disp.  
208 per totam, maxime n. 9. vers. *Quan-*  
*do tamen*, Gratian. 1. tom. cap. 44. à n. 11.  
cum seqq. usque ad num. 17. Peregrin. de fi-  
deicommiss. art. 11. num. 125. & art. 16. à  
n. 158. Mantic. de conjectur. lib. 12. tit. 2. n.  
31. Surd. conf. 361. n. 19. Fontanel. de pact.  
tit. 2. claus. 6. gloss. 3. part. 2. à n. 45. Can-  
cer. *variar. cap. 20 de legatis*, à num. 120.  
Menoch. lib. 1. conf. 78. à n. 13. & latius  
lib. 2. conf. 131. à num. 2. cum seqq. & conf.  
134. à n. 30. & conf. 146. à n. 21 & 3. lib.  
conf. 262. à n. 6. Castil. lib. 4. cap. 48. à n. 11.  
Phœb. 1. part. decis. 11. Cyriac. forens.  
contr. 72.

31 In secunda textus parte solùm verfa-  
tur difficultas juxta ponderationem su-  
prà adductam num. 2. Cæterùm attentâ  
lecturâ mei codicis, nullum habet lo-  
cum prædicta ponderatio; sic enim in  
meo codice sunt litteræ exaratae: *Sed si*  
*filius, frater, alumno minus industrio, &c.*  
Unde sequitur, quod si verba hæc re-  
ferantur ad testatorem, siue ad hære-  
dem, nostro casui non adaptantur; quia  
neutiquam dubitari potest, quod tam te-  
stator, quàm hæres præstare debent ali-  
menta filio, vel fratri: & hac ratione in-  
quit textus tale legatum ad hæredem  
pertinere, atque ideo interponendam  
esse cautionem, ut fundus ematur, & ut  
postea non alienetur; quia si legatarius  
non habuerit unde se alat ex redditibus  
fundi, tanquam filius vel testatoris, vel  
hæredis, poterit sibi alimenta petere,  
etiamsi frater sit vel testatoris, vel hære-  
dis; si frater sit testatoris, ab hærede fra-  
tris; & si frater sit hæredis, à fratre Qua-  
propter secundùm hanc lecturam uti-  
que sumus extra terminos præsentis  
quæstionis, in qua agitur, an patruus à  
nepote, vel nepos à patruo petere possit  
alimenta.

Quod si prædicta verba legenda sint,  
ut vulgâriter leguntur in hunc modum,

*Sed si filio fratris*, ita ut sit figurandus ca-  
sus de legato à patruo nepoti relicto; ul-  
tra quàm quod sunt fortiores termini in  
quibus patruus à nepote petit alimenta,  
his in quibus nepos cum patruo agit, ut  
eruditè considerat post alios Larrea dict.  
decis 47 num. 50. ibi: *Nos verò non de pa-*  
*truo, ut alat nepotem, sed de nepote ne alat*  
*patruum, statuumus quod multum distat,*  
*quia amor descendit, & obligatio ascendit,*  
&c. Nihilominus comparisonem ad-  
mittendo, respondemus ad dictum tex-  
tum, primò illud interesse de quo ibi agi-  
tur, non esse pecuniarium, sed solummodo  
affectionis, cum semper hæredis in-  
terfit, quod defuncti voluntas adim-  
pleatur, & nepos ex fratre testatoris  
tanto amore ab eo prosequutus, ut tan-  
quam alumnus ab eo fuerit educatus, fa-  
me coactus mendicet. Et ita hunc tex-  
tum post alios interpretatur Veiga ubi  
suprà cujus sunt formalia sequentia ver-  
ba non otiosè repetita, quia cum hæc le-  
ctura non sit typis mandata, fortasse  
non omnibus erit nota, nec præ mani-  
bus habita.

Meque obstant adducta in contrarium;  
primò enim ad hunc textum responde, inte-  
resse de quo hic, non esse considerandum ut  
suprà, sed aliter; vertitur enim in modo,  
de quo hic, interesse testatoris, quia ejus in-  
terest, ne filius fratris alumnus, ab eo edu-  
catus ut filius, & obmixtè dilectus, juxta l.  
in testamento, Cod. de fideicom. libert. &  
quæ Cost. lib. 2. selectar. c. 20. ostiatim vi-  
ctum quæsiisset in grande testatoris, &  
ejus authoritatis dispendium. Vertitur  
etiam in eo interesse hæredis, quia creden-  
dum est ejus interesse, ut dicta testatoris vo-  
luntas impleatur, neque ejus honor, & au-  
thoritas dispendium patiat, in cujus bo-  
na successit hæres: quinimò quamvis præ-  
cisè alere non teneatur, ut supra, attamen  
ne sobrinnus & alumnus ejus cui successit,  
publicè mendicet, saltem pudore, & veri-  
cundiâ coactus aleret, argumento legis pe-  
cunia, in fine, de aliment. in specie. Crot. &  
Socin. junior n. 8. & 13. in dict. §. Divi,  
Peralt. in l. Titio, num. 3. de leg. 2. Pinel.  
in l. 1. de bon. matern. 3. part. n. 57. atque  
ideo textus hic non simpliciter dicit interesse  
hæredis, sed tantum interesse hæredis cre-  
dendum est. Se-

34 Secunda solutio est, quod in specie hujus textus testator voluit legari voluntarie alimenta sobrino, & ut ea certa haberet, voluit fundum emi, ut ex ejus redditibus ea perciperet, & ex eis aleretur. Et ex hac ratione ait Papinian. hæredis interesse cautionem interponi de emendo fundo, & de eo non alienando, ne alias fundo non comparato, vel alienato remaneat hæres obligatus ad alimenta sobrino præstanda, quæ certa, & secunda semper ei voluit superesse testator. Et hæc quidem solutio satis concluditur ex illis textus verbis: *Alumno*

35 *minus industrio prospectum esse voluit:* quæ denotant voluntariam dispositionem, ne utiquam verò necessitatem, seu præcisam obligationem. Unde maiori ratione, ut ex hoc textu, concluditur patrum minimè teneri nepoti alimenta præstare; nam si ad id legis necessitate teneretur, superfluum foret ea legare. Et ob hanc rationem dixit eleganter Larrea *in d. disp. 47. num. 42.* verè Cocotyrcos, qui ex hoc textu inferunt præfatam obligationem; siquidem rectè perpenfis illius verbis, potiùs ex illis contrarium probatur. Et ita respondent, licèt non tam clarè explicent, *Cost. d. lib. 2. selectar. cap. 20. n. 3.* Larra *in d. l. si quis à liberis, in d. §. idem rescripsit, n. 115. & 118.* Larrea ubi supra, *dict. n. 42.* & sequutus fuit etiam insignis, communisque magister Veiga ubi supra, *in vers. præterea, ibi:*

*Præterea cum testator in proposito hæredi injuxerit id onus ut alumnus non egeret, ut patet ex textu, ibi: Alumno minus industrio prospectum esse voluit; interesse hæredis vertitur, quia aliter si jussum testatoris non impleat, vel privabitur bonis sibi relictis, vel ex proprijs alumnus cogretur alere. In specie Lar. in d. §. idem rescripsit, ex num. 118.*

36 Ad secundum argumentum deductum ex *d. l. si quis à liberis, d. §. utrum autem, ff. de liber, agnoscend.* respondeatur dari diversam rationem, quia simul cum obsequio debito à libertò patroni filijs considerandum est, prædictos filios in idem patronatus jus succedere, quod illorum pater habeat, *l. 1. ff. de jurepa-*

*tronat. & insimul ijdemmet patroni filij tenentur libertum alere, si egerit, l. suo victu 18. l. operarum, §. 1. ff. de oper. libertor.* Et sanè nulla ex his omnibus circumstantijs applicabilis est erga nepotem respectu patrum; non legimus namque nepotem patruo debere obsequium, ut comprehendantur omnes illi multi effectus, de quibus agitur *in tit. de obsequio à libert. præstand. patron. & eorum liber.* ex adversis verò non solet fieri congrua illatio, *l. Papinianus, & l. 1. ff. de minorib. l. inter stipulantem 83. §. sacram, ff. de verb. obligat. ibi: Sed hæc dissimilia sunt.* Textus verò *in dict. l. 1. ff. de parricid.* solummodò personas illius criminis complices numerat; nihil verò concludit, ut ex eo ad alimenta arguatur. Patet clarè, quia etiam *in d. l. 1.* legitur in eo crimine comprehendi vitricum & privignum; nemo autem docet similibus personis alimenta deberi, ut eleganter profequitur Larrea *d. decis. 47. n. 30. 31. & 32.*

Ad tertium argumentum deductum *ex dict. l. ex duobus 27. §. final. ff. de neg. gest.* respondetur, esse textum formalem contra adversam opinionem. Illius species est de quodam patruo, qui alimenta præstitit nepti ex sorore, quorum expensas repetere conabatur. Et asserit Modestini, quod si prædictus patruus neptem aluit pietatis intuitu, illas haud repetere posse expensas: igitur si ad denegandam patruo actionem ad pietatis causam recurrit J.C. considerans ob eam nepti alimenta præstitisse, & donationis gratiã, sequitur evidenter textum probare patrum obligationis jure non teneri neptem alere; si enim ad id adstringeretur, solveret debitum, nec locus foret dubitationi circa eas expensas repetendas, & ex eo principio ei Jurisconsultus actionem denegaret, quin opus esset recurrere ad præsumendam donationem ex pietatis causa resultantem. Et quod hæc sit formalis ratio, constat ex eodem textu, in illis verbis, *ibi: Si pietatis respectu, &c.* nemo namque in necessitatibus liberalis existit, *l. rem legatam 18. ff. de adim. legat.* immò demonstrat Jurisconsultus deficiente in il-



la specie donationis causâ , patrum actionem habiturum ad expensas alimenterum nepti præstitorum repetendas, utpote indebitè compartitas. Quod satis demonstrant illa verba, ibi: *Titium si pietatis*. Dicitio namque *si*, conditionem importat, ut latè allegat Barbof. *de cis.* 346. à n. 1. deficiente verò conditione resolvitur actus, immò tanquam imperfectus reputatur, *l. si pecuniam, ff. si cert. petat. l. necessario, §. quod si pendente, ff. de pericul. & commod. rei vendit. l. si legatum purè, ff. de adim. leg.* Cassanar. *conf.* 55. à num. 4. Fontanel. 1. part. *decis.* 224. num. 6. & ita in effectu respondet Larrea *dict. decis.* 47. à num. 41.

41 Et comprobatur hæc solutio ex *l. si patrono 15. Cod. de neg. gest.* ubi ob similem pietatis rationem vitricus in privigno expendens expensas non repetit; & tamen nemo dicit vitricum teneri privigno alimenta erogare. *Surd. de aliment. tit. 1. q. 41.* Sic similiter in specie textus *in dict. l. ex duobus, §. Titium*, ineptè arguitur obligatio in patruo, qui pietatis officio neptem aluit; sed potius vera erit illatio, si ex ejus specie concludatur patruum neptem alere non teneri: quo in vero sensu hîc probat textus nostram, neutiquam verò contrariam resolutionem.

42 Ad quartum argumentum deductum ex textu *in d. §. cum filius, Inst. de hered. quæ ab intest. defer.* respondetur minimè procedere, quia decisio hujus textus solummodò inservit ad successiones hæreditarias, in quibus disponatur filium patris personam repræsentare, ut simul cum patruo ad hæreditatem avi concurrat; unde non congruè ex eo argumentatur ad alimentorum præstationem, ut nempe filius patris locum ingrediatur, ut à patruo alatur, quemadmodum frater à fratre aleretur. Et ratio est, quia deest lex ita disponens, & statuens, sine qua non possumus obligationes extendere, ut supra remanet probatum.

Et comprobatur exemplo: Certi juris est, fratrem fratris posse de inofficioso querelare, si in eo turpis persona hæres instituat, id tamen filio fratris permiffum haud invenimus, immò contra-

rium, *l. fratri 21. Cod. de inofficios. testam* 43  
Ergo quamvis nepos ex fratre patrem repræsentet, ad hos solum erit effectus à lege concessos. Et est ad propositum elegans consideratio *Molin. lib. 2. c. 15. n. 67. vers. Sed quamvis*, ibi: *Quibus aducitur quod facile evenire possit, quod ex uno fratre decem vel plures nepotes superessent quod in maximum fratris possessoris maioratus damnum converteretur, si omnes ex eo alere astrictus sit nisi dixerimus in eo casu alimenta non in capita, sed in stirpes præstanda esse: quod in materia alimentorum veuti monstrum futurum esset; id oque nullo pacto à communi opinione recedendum esse mihi videtur: quod singulariter notandum, atque memorie commendandum erit; quotidie namque poterit in forensibus controversijs contingere. Quod etiam consideravit Larrea *decis.* 47. num. 47.*

44 Ad quintum argumentum deductum ex æquitate textus *in d. l. si quis à liberis, §. utrum 20. ff. de liber. agnoscend.* respondetur hunc textum loqui & procedere respectu ascendentium, & descendentium; non verò respectu transversalium. Immò notandum est in transversalibus limitare sanguinis conjunctionem, ex eoque charitatem resultantem; & cum non loquatur in transversalibus, neque in nepote respectu patrum, vel vice versa, non esset æquitas, immò magis iniquitas gravamen nepoti imponere adeo durum, quod nulla lex ei imposuit, ut latius & elegantius respondet Larrea *ubi proximè, à n. 27. usque ad 30.* 45 solummodò enim ponderatur, attenditurque charitatis ratio quando scripta est, ut optimè notat idem Larrea *n. 39.* ubi allegat *Gloss. in l. placuit, C. de judic. & in l. 1. verbo Jus, C. de legibus, & in cap. final. de transact.* citatque *B. rr. Fulgos. Castrenf. pluresque alios.*

46 Ad sextum argumentum supra deductum ex duobus textibus *Canonicis*, nempe *in c. 1. de cohabit. clericor. & mulier. & in c. cum quidam 12. §. final. de jurjur.* respondetur nullo modo illis intentum probari. Non probat illud textus *in d. c. 1.* quia illius finis, & intentum in eo consistit, ut Sacerdotibus consu-

lat, quâ honestate se præbeant, ad eam-  
que manifestandam: & admonet, quod  
nec matrem, aut sororem, amitamve in  
47 suis retineant domibus. Et hæc est vera  
conciliatio, quâ hic textus in amicitiam  
reducitur cum textu *in c. à nobis, penult.*  
*eod. tit. junctis traditis per Aug. Barbof.*  
*in d. cap. 1. n. 3. & in d. cap. à nobis.*

Cæterum tamen ne videretur Ponti-  
ficem Clericis interdiceret, ne necessaria  
tum conjunctis personis suppeditarent,  
addit quod ea subministrant extra pro-  
priam clericorum domum; neutiquam  
48 verò de eo agit textus, & multò minùs  
decidit, utrumne de jure debeant præ-  
fatis alimenta præstare. Et hic est sine  
dubio verus hujus textus sensus, qui fa-  
cilè ex illius contextura depromitur, ut  
rectè notavit Larr. *ubi proxime, n. 43.*

Præterea quamvis textus hic eam  
clericis necessitatem imponeret, ex eo  
tamen rectè ad nostrum casum, no-  
stramque quæstionem argumentari non  
potest, quippe quod casus erat specialis.  
Clericus namque ex ratione status, quo  
49 fingitur, eam habet obligationem, ut  
quæ sibi restant pro pauperum alimentis  
expendat, propinquos extraneis præfe-  
rens, ut benè notat Gloss. *in dict. cap. 1.*  
*verbo Subministrant, & deducitur ex*  
*Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 1. ut*  
etiam cum Barbof. Surd. Sarmient. Ce-  
val. Covar. & Fiilucio respondet Lar-  
rea *in dict. decis. 47. n. 44.*

50 Non probat etiam textus *in dict. cap.*  
*Cum quidam, §. final. & facilè ejusdem*  
textus verbis dicto argumento satisfit,  
ibi: *Illi verò qui jurant non loqui patri vel*  
*matrì, sorori vel fratri, aut eis humanita-*  
*tis subsidium non exhibere, absolventi sunt*  
*ab illius observantia juramenti, &c.*

51 Ex quibus verbis evidenter apparet  
præfatum textum loqui, & procedere  
respectu patris aut matris; neutiquam  
verò loqui in patruis vel sobrinis, ut re-  
ctè, & literaliter respondet Larrea *ubi*  
*proxime, n. 39.*

Addo autem, quod licèt textus hic  
procederet respectu omnium propin-  
quorum, non exinde rectè inferretur  
aliquid ad quæstionem, de qua agimus;  
aliud est enim inquirere, an de jure pro-

pinquus ad alios propinquos alendos te-  
neatur; aliud, an sit, vel non humanita-  
tis charitas propinquis subsidium præ-  
stare. Cum igitur dubitari hæud possit  
charitatis opus esse propinquis subve-  
nire, exinde sequitur quod quamvis hic  
textus respectu omnium propinquo-  
rum loqueretur, optimè decideret, in-  
validè jurasse propinquum de non alen-  
dis propinquis, ex eadem ratione in  
ejusdem contextura adducta, ibi: *Cum*  
*illicitum, &c.* Quia etiam ratione ejusdem  
juramenti absolutio minimè fundatur,  
nec cadit super illius vinculi validitate,  
sed potius super illius nullitatis decla-  
ratione, juxta textum *in cap. Audivimus*  
*24. quest. 1. & cap. Ex diligenti, de simon.*  
& ibi Gloss. *v. r. 100 Absolvimus*, contra  
dicta Barbof. *in collectan. ad eundem tex-*  
*tum, num. 5.*

Satis ergo manifestum remanet, non  
53 adesse textum aliquem in toto Civili, aut  
Canonico jure, quo contraria opinio  
fundari possit; immò si benè expendan-  
tur, vel pro nostra expressè esse, vel sal-  
tem hæud remotè illam probare.

Et quod attinet ad authoritates Do-  
ctorum, ultra quàm quod intelligendi  
sunt quando patruus à nepote alimenta  
petit, veluti à patris hærede; non verò  
quando eum jure sanguinis pulsat pro  
alimentis, qui sunt termini, in quibus  
modò sermonem facimus, prout eos in-  
telligit specificè Larrea *dict. decis. 47. n.*  
*50. & specialiter Surd. antesignanus ad-*  
*versæ opinionis dict. quest. 28. num. 1.*  
in illis verbis, ibi: *Qui omnes dicunt onus*  
*hoc transire in hæredes; & pro hoc facit,*  
*quia in successione filius fratris ingreditur*  
*locum patris.* Et cum hoc hæreditatum  
proprium sit, manifestè apparet in eis  
terminis Surdum loqui, quo etiam in  
sensu loquitur Giurb. prout ex toto de-  
cisionis tenore videre est, & satis mani-  
festè *ex num. 14. ibi: Quod à Joanne Pla-*  
*tamine pater universalis hæres institutus*  
*fit.* Et melius iterum ibi: *Bonorum ergo*  
*paternorum hæres, cum una sit cum defun-*  
*cto persona, eos alere tenetur, ad quos alen-*  
*dos cogebatur defunctus.*

Castil. autem ultra quod non loqui-  
tur tam firmiter, ut aliàs solet, ut benè  
54 notat

notat Larrea ubi proximè, dict. num. 51. intelligi benè potest, quod specialiter loquatur eo in casu, in quo vertebatur lis & contentio inter Ducem de Alcalá, ejusque patrum, ut id quod asserit procedat in maioratu dignitatem annexam habente, & adeo eccellente, qualis est Ducatus dignitas; quod etiam speciali favore similibus personarum retulit etiam Lara in §. idem rescripsit, l. si quis à liberis, num. 53. in verbis illis: *Quæ contracti limitarique debent, si avitus maioratus sit dignitas, ut Ducatus, Marchionatus, Comitatus, quo casu sobrinus fortè cogetur alere patrum, ne mendicet in opprobrium paternæ dignitatis, ut tradit Fab. in auth. novissima, num. 73. Cod. de inoffic. testam.* Quod tamen non sequitur Lara, ut constat ex sequentibus verbis, ibi: *Cujus sententiæ non accedo, quia non debet quisquam cogi alimenta præstare, qui præstandorum oneri non est ullo jure adstrictus, ut in proposito.* Præterea quamvis ita id assererent suprascripti DD. convincuntur facilè ab alijs pro nostra resolutione citatis, & prævalent numero, & autoritate. Inter eos numerantur Cost. Barbof. & Veig. celeberrimi sanè, & apud omnem terrarum orbem, tanquam Jurisprudentiæ Patres & Principes sic receptissimi, & comprobatissimi: connumerantur etiam alij moderniores, qui ferè omnes adversos referunt, & convincunt: suntque singularissimi Salgad. & Larrea, & Boss. qui latissimè punctum disputarunt, omnibusque objectionibus responderunt, ita ut nec levis aliqua imaginatio, quæ pro patruo adduci possit, remaneat insoluta; & cum sit etiam opinio nostra, quæ modernius sequuta est tam in consulendo, quam in judicando; stylus verò, qui in judicando modernius observatur, sequendus semper omninò est, juxta notata per

55  
56  
57  
58

DD. in cap. final. de consuet. Anton. Mar. Corraf. tom. 1. commun. opinion. lib. 2. tit. 8. inspect. 1. num. 10. & communiter DD. quos refert & sequitur Anton. Gabriel inter communes opiniones, tit. de consuetud. concl. 1. num. 74. Nicol. Moron. de treug. & pace quæst. 121. n. 180. Alder. Mascard. de statutor. interpret.

concl. 8. num. 9. Caput decij. 163. num. final. Mantie. de tacit. lib. 3. tit. 9. num. 76. Marefcot. lib. 1. variar. cap. 55. eleganter Gomez ad reg. Cancel. de triennial. posses. quæst. 53. ibi: *Stylus modernorum contrarium priori observandum, & modernos esse sicut culices in capite elephantis, qui vident priora & posteriora, &c.* Remaneat ergo firmissima nostra resolutio. Et hæc pro primo medio notato suprâ num. 2.

Quoad secundum, an videlicet nepos 59 possessor aviti maioratus subministrare alimenta teneatur patruo? Respondetur quod nepos non teneatur patrum alere, vel vice versa, eo respectu, quia successor, & possessor sit maioratus ab ascendente instituti, qui quando cum instituit, prædicto descendenti alimenta non debebat, quia tunc temporis non extabat in rerum natura. Resolvit Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 27. num. 7 & 8. ibi: *Sat est enim, quod non teneatur uti primogenitus, nec de bonis primogenituræ.*

Ex quibus verbis clarè apparet Surdum resolvere obligationem alendi folius conjunctionis sanguinis onus esse, non verò bonorum maioratus: ut sic concludatur, quod si propinqui extra illum gradum sint, cui præfata obligatio coarctatur (quales sunt termini nepotis respectu patrum, vel vice versa) parum interest, quod descendant ab institutoribus, ut maioratus possessor ea alimenta præstet.

Sic etiam respectu maioratus possessoris 60 sequitur eandem resolutionem Molin. de just. dict. disp. 616. num. 8. ibi: *Ad quod paucis dicendum, non ad aliud eos teneri, quam tenerentur si non succederent inter maioratum, &c.* Et retento eodem themate, concludit dictum numerum octavum loquendo in nostris specificis terminis.

Alter Molin. de primogen. lib. 2. cap. 15. num. 67. maximè vers. *Sed quamvis, & in eadem specifica specie addentes dict. n. 67. & 68. ubi in vers. Nos verò, eandem sequuntur opinionem, eam appellantes veriore & communior, pro eaque judicatum fuisse favore nepotis contra patrum, qui à nepote alimenta petebat.* Et


Et in eisdem terminis successoris, & possessoris maioratus Lar. in dict. l. si quis à liberis, in dict. §. idem rescripsit, n. 117. ubi in specie cum multis Mieres in dict. quest. 28. per totam, maxime num. 21. & 31. Spin. in dict. gloss. 19. in princip. dict. num. 27. ibi: *Nam bona maioratus, in quibus successit, non sunt adstricta onere alendi posteris, &c.* Et loquitur in terminis, in quibus nepos maioratus fuit successor; resoluitque minimè tanquam illius successorem patruo præstare alimenta debere, & ita numerum concludit: *Dicendum est, teneri possessorem eos alere, & præstare illis alimenta, quibus jure sanguinis naturaliter tenebatur.* Sic clarè concludens minimè alendi obligationem augere ex ea ratione, quod ille, à quo alimenta petuntur, maioratus successor sit, si aliàs extra gradum sit, in quo jure sanguinis debentur. Mastril. dict. decis. 85. num. 27. optimè Larrea dict. disp. 47. num. 22. cum seqq. elegantissimè, & omninò videndus Salgad. dict. cap. 24. n. 127. ubi latissimè alijs citatis, à num. 166. usque ad finem capituli: qui omnes DD. loquuntur specificè, præfatam obligationem negando in nepote respectu patris, vel vice versa, quavis maioratus possessor, & successor sit ab ascendentibus instituti; qui ascendentes dicto patruo relinquere alimenta haud tenebantur, utpote nondum nato, vel concepto tempore quo institutio confecta fuit.

62 Cùm igitur hi sint ipsissimi termini, in quibus agimus, neutiquam in dubium venire potest, quod eo tempore, quo institutores hunc, de quo loquimur, instituerunt maioratum, nec natus adhuc, nec conceptus erat patruus; sequitur indubitanter, quod quamvis nepos prædicti maioratus successor, & possessor sit, neutiquam tamen ad alendum patruum tenetur, prout in exemplis supra relatis judicatum extitit; in eis namque lites contra maioratum possessores agitate fuere.

63 Neque nepos tanquam hæres patris sui præstare patruo alimenta tenetur, quia cùm alendi obligatio ex sanguinis jure solummodo proveniat; hoc autem solum ad fratres extendatur, videtur il-

lorum obligationem personalissimam esse, atque ideo minimè ad filios fratrum transitoriam; etiamsi suorum parentum hæredes sint. Et ita fanè tenet Salgad. dict. cap. 24. num. 159. ubi licet brevibus, elegantissimis tamen verbis tria omnia principia comprehendit; nempe illud, quod à juris sanguine dimanat; alterum, quod in successione, & possessione rerum maioratus considerant DD. tertium & ultimum, quod in successione rerum hæreditariarum consistere videtur, asserens ex nullo illorum ad talem præstationem nepotem patruo teneri. Sunt sequentiæ Doctoris verba: *Quare iste novus successor in maioratu nullo ex capite tenetur alimenta continuare.* Et notandum est verbum illud, *continuarè*; quippe quod terminos nostros fortiores supponit, scilicet quod patruus in possessione, vel quasi exabat percipiendi alimenta à fratre: & prosequitur ita dicens: *Non ex obligatione sua propria, cùm patruum alere non teneatur.* Quibus verbis disertè resolvit jure sanguinis minimè alimenta deberi; & sic continuat, *non ex obligatione patris prædecessoris*; tum quia ejus morte fuit extincta tanquam personalissima: ergo aperte resolvit, quod nepos, nec etiam tanquam patris hæres patruo alimenta præstare tenetur: & ita probat eleganter num. 162. ibi: *Quia alia est obligatio patris, alia filij successoris; nam cùm inter eos omnes non detur eadem sanguinis conjunctio, & proximitas, diversimodi judicandi sunt ad alimentorum obligationem, cujuslibet etenim obligatio est restricta, & limitata ad certum & limitatum gradum à jure dispositum; & ideo mortuo eo, scilicet patre, simul cum extinctione gradus extinguitur per necessè obligatio eidem accessorie coherens & conjuncta, &c.* Et redeundo ad prædictum numerum 59. sic illum concludit: *Tum quia filius successor nihil capit à patre, nec ejus successor est. Resolvit ergo, quod neque tanquam maioratus successor tenetur nepos patruo alimenta præstare.* Et in iisdem terminis, quibus loquitur Salgado, tenet etiam Franchis dict. decis. 178. num. 8. ubi in fine decisionis sic judicatum asserit.

- 65 Nos verò contrariam sequimur sententiam, asserimusque nepotem tanquam heredem patris patruo alimenta præstare teneri, prout sequitur Larrea omnibus illis Doctoribus citatis, quos his terminis loquutus refert *dict. decis. 47. num. 50.* sicque in Consistorio Ecclesiastico iudicatum fuit pro Nuntio Tavares contra patruum Petrum de Tavora Tavares, quem ad præstanda alimenta Nuntio nepoti naturali condemnarunt Doctissimi Senatores, ex eo principio, quòd probaretur hæres & possessor omnium bonorum, quæ Nuntij pater reliquit; quòd in hoc casu non consideramus, quod statim deduci debet; nam licet aliàs ex alio capite teneatur ad alimenta, statim debet proponi. Nec postea potest deduci, ut in specie loquendo de illo actore, qui per medium aliquod petijt alimenta, per quod tamen illa obtinere non poterat, quòd illi non sit deferendum ex alio medio non deducto: quod sanè si deduceret, efficax esset ad vincendum. Tenet Salgad. *in d. cap. 24. num. 146.* ubi allegat Coller. Barbof. Te-par. Boer. Franch. & Giurb.



## CAPUT CVI.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possint concedere sepulturam in Ecclesia Cathedrali, aut in alia non Cathedrali, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.


## SUMMARIUM.

- 2 Legatus à latere, aut Nuntius possunt concedere sepultuoram: & num. 2.

1 Licet Legatus à latere, aut Nuntius possint concedere sepulturam in Ecclesijs inferioribus, in quibus omnimodam exercent jurisdictionem, ut tenet Rota apud Cavaler. *decis. 15. num. 3.*

- 2 Attamen talis Legatus, aut Nuntius

non possunt concedere sepulturam in Cathedrali, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo, ut prosequitur Frances *de Eccles. Cathedrali, cap. 26. num. 204.* ubi etiam omnia tradit circa sepulturas.



## CAPUT CVII.


Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit concedere exemptionem, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

## SUMMARIUM.

- 1 Exemptionem concedere est de reservatis Papæ.  
2 Exemptionem non potest concedere Legatus, aut Nuntius.

Cum exemptionem concedere ad solum Romanum Pontificem pertineat, non solum in Ecclesijs Cathedralibus, sed in quacunque Ecclesia, ut tenet Kochier *de jurisdic. in exemptos 1. p. quest. 3. num. 15. & quest. 6. n. 13.* Frances *de Eccles. Cathedralib. cap. 30. n. 34.*

Ideo talem exemptionem non potest concedere Legatus nec Nuntius, ut prosequitur & exornat idem Frances *dict. cap. 30. num. 35. & 36.*



## CAPUT CVIII.

Utrum Nuntius cum potestate Legati à Latere, aut Legatus à latere possint cum infamibus, aut cum minoribus & illegitimis quibuscunque dispensare quoad ordines, & beneficia, sicut Papa in universo orbe, & qualiter; contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo, aut Capitulo Sede vacante, qui possunt

sunt dispensare : & quando, & quid in alijs varijs dispensationibus?

SUMMARIUM.

1. Quando Archiepiscopi, aut Episcopi possint cum infamibus, aut cum minoribus, & illegitimis quibuscunque dispensare quoad Ordines, & beneficia, sicut Papa in universo orbe, ad varias quaestiones, & num 2.
2. Quid in Nuntio, aut Legato Papae quoad dispensationem.

**H**Anc quaestionem quoad Archiepiscopum, aut Episcopum, aut Capitulum Sede vacante quoad similem dispensationem tractat cum multis eleganter Fermosin. in cap. fin. de sacramentis non iterandis, & de filijs illegitimis q. 8. Ubi tractat an Archiepiscopus, aut Episcopus possint cum illegitimis quibuscunque libet dispensare in sua Dioecesi, quoad Ordines, & beneficia, sicut Papa in universo orbe. Et qualiter? Et an Capitulum Sede vacante hoc idem possit? An ad Canonicatum, & dimidiam portionem? An ut ordinatus illegitimus possit ad Sacros Ordines ascendere, & in receptis ministrare? Et quid cum irregulari ex occulta illegitimitate? Et num cum proprio filio. Et ibi omnia tradit. Et quid in Commissario Cruciatæ, etiam disputat, & Corona de potest. Episcop. tract. 2. cap. 15. §. 10. ubi quod legitima ætas ordinandorum ab Episcopo dispensari potest: & §. 11. quod possunt ab Archiepiscopo dispensari infames, ut ad Ordines promoveantur: & §. 12. quando possit dispensare cum illegitimis ad aliquos ordines suscipiendos: & §. 13. quando possit dispensare cum illis, qui in infantia expositi fuerunt: & §. 14. quod Episcopus potest dispensare cum illegitimo occulto.


2. Idem Fermosin. in dict. cap. fin. quest. 2. tractat quid debeat exprimere illegitimus ad hoc ut dispensetur: & quest. 3. & 4. quid quando ingressus fuit in religione: & quest. 5. tractat an si legiti-

Pars II.

mus dispensetur à Papa quoad Ordines, intelligatur dispensatus quoad omnes Ordines sacros, & beneficia simplicia? ad Personatus? ad Curata, & ad alias dignitates: & an facultas superioribus Religionum concessa ad dispensandum cum suis subditis illegitimis ad omnes Prælaturas, porrigatur etiam ad obtinendam dignitatem generalem. Et quest. 6. an dispensatus quoad omnes Ordines, Beneficia, & Dignitates censeatur dispensatus quoque ad Episcopatum? Et an dispensatus ad beneficium possit obtinere non solum simplex, verum & curatum, Canonicatum, & Dignitatem in Cathedralibus, & Collegiatis, & ad duo insimul beneficia. Et sic ut uno dimisso possit aliud obtinere. Et num hæc dicta de dispensato procedant quoque in legitimitate à Pontifice. Et quest. 9. tractat, an Episcopus promovendo ad Ordines illegitimus, seu alium qui de jure communi promoveri non potest; in casibus tamen, in quibus potest dispensare, intelligatur cum eo dispensare? An possit dispensare cum illegitimo ad pluralitatem beneficiorum simplicium? Et an ut dispensatus à Papa ad unum simplex beneficium, possit ad aliud obtinere Episcopi dispensationem? Et an possit dispensare cum Clerico conjugato? Et an dispensatio præsumatur, si illegitimus in habitu & tonsura incedat? Et an dispensatus per suum Episcopum possit beneficiari in diversa Dioecesi. Et quest. 10. an filius in dubio præsumendus sit naturalis, hoc est natus ex concubina; an verò spurius, hoc est natus ex coitu damnato, & punibili, ad effectum narrative pro dispensatione illegitimitatis consequenda? Et an tollatur irregularitas illegitimitatis non solum dispensatione, aut professione, verum per morum probitatem, scientiam, & alias illegitimi dotes.

Et de Nuntio, aut Legato Papae, quoad dispensationem de qua agimus, solent disputare DD. per Gloss. in cap. 1. de filijs illegitimis, lib. 6. verb. Sedis Apostolicæ, & ibi. Nec sufficit dispensatio Legati, ex qua notant ibi antiqui, & Barb. n. 11. & item Paris. cons. 136. n. 26.

lib. 4. Rebus. in prax. beneficial. tit. de dispensatione super defectu natalium, n. 45. quos refert & sequitur Mantica. dec. 214. n. 3. ut Legatus Papæ non possit dispensare cum illegitimo ad beneficia cuncta, nisi hoc ei specialiter à Papa concessum fuerit, prout testatur Fermosin. in d. cap. fin. quest. 8. num. 44. & 45. ubi quod cum respectu beneficii curati id prohibeatur Legato Papæ, videtur quod ad Ordines minores, & beneficia simplicia possit dispensare Legatus, item ad portiones aut Canonicatus in Collegiatis non exigentes ordinem sacrum; & in his potest dispensare etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & ad alios casus vide Gomez Bajo p. 2. lib. 4. cap. 1. per tot.



### CAPUT CIX.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate possint habere baldachinum, etiam contradicente Archiepiscopo, ita ut in casu contradictionis possit censuris plecti.

### SUMMARIUM.


- 1 Archiepiscopus debet habere baldachinum.
- 2 Legatus de latere, aut Nuntius cum eius potestate possunt uti baldachino.
- 3 Archiepiscopi impediunt Legatos à latere, aut Nuntios uti baldachino possunt censuris plecti, & tota Provincia affici interdicto, donec paruerint, ut interim non sit consulendus Pontifex Summus.

1 Sicut Archiepiscopus debet habere baldachinum, ut tenet Gambar. in tract. de authorit. Legati, §. illud, num. 249. Fermosin. ad textum in cap. 1. de authorit. & usu Pallij. quest. 2. n. 9.

2 Ita etiam Legatus de latere, aut Nuntius cum eius potestate possunt uti baldachino, eo quod sunt maiores Archie-

piscopis in dignitate, ut probat Mart. de jurisdict. 2. part. cap. fin. num. 31. quem refert Fermosin. ubi supra, num. 10.

Et ideo Archiepiscopi, aut Episcopi impedientes Legatos à latere, aut Nuntios uti baldachino, possunt censuris plecti, & totam Provinciam afficere interdicto, donec paruerint, ex textu in cap. Si quis, dist. 94. Marth. ubi supra, num. 33. Boer. de potest. Legati à latere de Throno Dei, num. 17. Fermosin. dict. q. 2. num. 11. & 18. addens ut interim non sit consulendus Pontifex Summus.



### CAPUT CX.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate possint concedere facultates, ut res ecclesiasticæ alienentur, aut super illis transigatur, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.


### SUMMARIUM.

- 1 Bona immobilia Ecclesiæ, aut minorum alienari non possunt, nisi debite solemnitates interveniant: & inter illas est necessaria facultas Pontificis.
- 2 Non potest Nuntius cum potestate Legati à latere, nec etiam Legatus à latere interponere suam authoritatem transactioni, aut alienationi rerum Ecclesiasticarum, contradicente, aut consentiente Archiepiscopo, aut Episcopo, nisi necessitas urgeret in alienando, aut transigendo, & Pontifex non posset consuli, quia tunc valet alienatio authorizata à Legato, aut Nuntio, etiam ab Episcopo.

Cum bona immobilia Ecclesiæ, aut minorum alienari non possint, nisi debite solemnitates interveniant, & inter illas sit necessaria facultas Pontificis, ex toto tit. de rebus Ecclesiæ non alienand. c. non liceat Papæ, c. sine exceptione, & per tot.

tot. 12. q. 2. c. 1. c. tua nuper, de his quæ fiunt à Prælatiſ, extravaganti. Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand. Concil. Trid. ſeſſ. 22. de reformat. c. 11. quorum jurium materiam latè exornant, limitant, & intelligunt Olea de ceſſ. jur. & action. tit. 2. q. 1. n. 2. & ſeq. & ultra eos Botiller. de ſucceſſionibus ab inteſtat. c. 2. theorem. 56. n. 7. Delbene de immunit. Eccleſiar. tom. 2. cap. 17. Aug. Barb. & Proſper Fagnan. ad tit. de rebus Eccleſiæ non alienand. Boſſ. moral. tit. de alienatione rerum Eccleſiaſticar. & ultra eos alij multi, quos refert & eleganter tractat Valeron. de tranſact. tit. 3. q. 6. & tit. 4. q. 1.

Non poteſt Nuntius cum poteſtate  
 2 Legati à latere, nec etiam Legatus à latere interponere ſuam authoritatem tranſactioni, aut alienationi rerum eccleſiaſticarum, contradicente, aut conſentiente Archiepiſcopo, aut Epifcopo, niſi neceſſitas urgeret in alienando, aut tranſigendo, & Pontifex non poſſet conſuli, quia tunc valet alienatio authorizata à legato, aut Nuntio; immò etiam ab Archiepiſcopo, ut multis citatis tenet Frag. de regim. Reip. d. diſp. 10. §. 4. n. 100. de quo vide Gom. Bajo præf. Eccleſ. lib. 4. c. 1. p. 2. n. 17. explicat Clem. Merlin. dec. Rot. 118. n. 4. & 5. ubi etiam quod nec ei creditur dicenti ſe in mandatiſ habere facultatem ad hoc.



CAPUT CXI.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus poteſtate poſſit diſpensare ut profeſſus in una Religione, in alia eligatur in Prælatum Provinciale; aut diſpensare cum Religioſiſ, in quibus Prælatiſ eorum poteſt, & illoſ efficere capaces delegationiſ ad literas Pontificiaſ exequendaſ, contradicente Archiepiſcopo, aut Epifcopo.


SUMMARIUM.

- 1 Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus poteſtate poteſt diſpensare cum Religioſiſ, in quibus Prælatiſ eorum poteſt, exceptiſ tribuſ regulæ ſubſtantialibuſ itemque eorum regulaſ relaxare.
- 2 Legatus non poteſt facere Religioſoſ ſimpliceſ conſentiente, aut contradicente Archiepiſcopo, aut Epifcopo capaceſ delegationiſ ad literaſ Pontificiaſ exequendaſ.
- 3 Neque etiam poteſt diſpensare ut profeſſuſ in una Religione in alia eligatur in Prælatum Provinciale, quia Religioſuſ nulluſ poteſt eſſe Prælatuſ illuſ Religioniſ, in qua non fuit ſolenniter profeſſuſ.

**L**icet Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus poteſtate poſſit diſpensare cum Religioſiſ, in quibus Prælatiſ eorum poteſt, exceptiſ tribuſ regulæ ſubſtantialibuſ, itemque eorum regulaſ relaxare, ut ex Specul. Gomez, Cuch. tradit Fragof. de regim. Reip. part. 2. lib. 4. diſp. 10. §. 4. num. 98.

Attamen non poteſt facere Religioſoſ ſimpliceſ, conſentiente, aut contradicente Archiepiſcopo, aut Epifcopo, capaceſ delegationiſ ad literaſ Pontificiaſ exequendaſ, ut proſequitur idem Fragof. ubi ſuprà.

Neque etiam poteſt diſpensare, ut profeſſuſ in una Religione in alia eligatur in Prælatum Provinciale, quia Religioſuſ nulluſ poteſt eſſe Prælatuſ illuſ Religioniſ, in qua non fuerit ſolenniter profeſſuſ, ut ex Bart. tenet Fermoſin. in cap. ad noſtram 37. de electione, n. 7. & 8. Auguſt. Barb. in cap. officij 38. num. 6. de elect.



CAPUT CXII.

Utrum Nuntius cum poteſtate Legatus à latere, aut Legatus à latere



tere possit in provincia sibi commissa facere leges, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

## SUMMARIUM.

**I** Legatus à latere potest in provincia sibi commissa facere leges ibidem; & quid in Nuntio.

**I** Legatus à latere in Provincia sibi commissà à Papa potest facere leges, ut docent DD. per textum ibi, in cap. fin. de offic. de legati, Sylvest. verb. Lex, quest. 4. Villalobos in summa, 1. part. tract. 2, difficult. 7. num. 7. ubi quod cum hoc dependeat à Papa, potest Summus Pontifex hanc potestatem moderari, aut abolere ex toto: sed de natura officij, quia est jurisdictionis, revera si non prohibentur, poterunt leges, ac constitutiones facere, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: quod non habet locum in Nuntijs Hispaniæ, & Portugalliæ, quia tantum dicuntur Legati missi, & non à latere, ut his citatis prosequitur Fermosin. ad rubric. de constitu. quest. 11. pag. 98. n. 27. Rota diversor. Auditor. part. 1. d. cis. 780. num. 11. & decis. 103. part. 2. num. 1. ubi quod non potest concedere statuta juri communi contraria.

## CAPUT CXIII.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius Apostolicus teneantur ostendere litteras suæ legationis, & an eis credatur, quamvis suas litteras non ostenderint ad instantiam Principis, Archiepiscopi, aut Episcopi?

## SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius Apostolicus teneantur ostendere litteras suæ legationis, & an eis credatur, quamvis suas litteras non ostenderint.

**D**E hac quaestione pro una & altera parte sunt videndi eleganter multi, quos refert & sequitur Pereya de instrumentor. edit. tit. 2. resolut. 2. per tot. Solorzan. de jure Indiar. tom. 2. lib. 4. cap. 11. num. 22. & seqq. ubi omnia tradunt circa materiam: & omnes quos allegavimus supra cap. 38. num. 3. Frances in Pastoral Regular. part. 2. quest. 3. num. 4 & seqq. eleganter Peyrin. tom. 1. in additament. ad constit. Xysti IV. cap. 3. numer. 14. ubi etiam quid si habeant privilegium, ut non teneantur ostendere.

## CAPUT CXIV.

Utrum Legatus à latere, vel Nuntius cum ejus potestate possit facere valida acta nulla, aut alterare quæ à jure communi formam habent, & jurisdictionem tribuere non habenti, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

## SUMMARIUM.

- 1** Legatus non efficit valida acta nulla.
- 2** Legatus non potest tribuere jurisdictionem non habenti.
- 3** Legatus de latere non facit adversus ea quæ jure communi formam habent.

**L**egatus de latere non efficit valida acta nulla, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo; quia hæc suppletio pertinet solum ad Papam: & inferiora Principe, si suppleat, actus est nullus, ut ex Gloss. in Clementin. Sæpe, verb. Mandamus, de verborum significatione. tradit eleganter Valenz. conf. 43. num. 80. de quo vide Ord. lib. 3. tit. 63.

Neque etiam potest tribuere, aut dare jurisdictionem non habenti, ut prosequitur idem Valenz. dict. conf. 43. num. 81. & num. 83. ubi quod Legatus de latere nihil potest facere adversus ea, quæ jure

jure communi formam habent, nam etiam Papa de potentia ordinaria debet judicarium ordinem servare. Abbas in cap. accusatum, num. 2. de simonia, Cravet conf. 103. num. 2.

CAPUT CXV.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit approbare Confessarios, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

1 Utrum legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit approbare Confessarios, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

1 Negative resoluit hanc questionem, & multis rationibus Bordon. post quartum tom. resolution. & decision. miscellan. decis. 433. omnino videndus.

CAPUT CXVI.

Vtrum si Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate committat crimen læsæ Majestatis, aut alius Legatus sæcularis, à Principe apud quem legatione funguntur coerceri, & puniri valeant, ac debeant remitti carcerati, aut soluti, instante, aut contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo. Et quid in ejus familiaribus, & de ejus immunitate, & Palatij.

SUMMARIUM.

1 Utrum si Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate committat crimen læsæ Majestatis, aut alius Legatus sæcularis, à Principe apud quem legatione funguntur coerceri, & puniri valeant, ac debeant remitti carcerati, aut soluti, instante aut contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & quid in ejus familiaribus, & de ejus immunitate, & Palatij.

1 Hanc questionem tractat eleganter pro una & altera parte omnino videndus novissime Salzed. theat. honoris gloss. 26. 27. 28 & 29. ubi de more suo nihil int. actum reliquit, & est omnino videndus, quia doctissime omnia tradit: de quo etiam est videndus Oliva de foro Ecclesie 2. part. 9. 17. & Themud. decis. 106. ubi etiam quid si Archiepiscopi, aut Episcopi, Clerici, aut Religiosi committant crimen conspirationis, rebellionis, vel prodicionis contra Principem, Regnum, seu patriam: & in terminis Nuntij Apostolici Diana tract. 8. miscel. resol. 2. Cabed. dec 82. part. 2.

CAPUT CXVII.

Vtrum Legati à latere, aut Nuntij cum ejus potestate possint habere familiam armatam, hoc est officiales armatos ad capiendum, & justitiæ executionem, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

1 Utrum Legati à latere, aut Nuntij cum ejus potestate possint habere familiam armatam, hoc est officiales armatos ad capiendum, & justitiæ executionem, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

Hanc

**H**anc quaestionem resoluit affirmative Oliva *de foro Ecclesiae* 2. part. *quest.* 1. num. 32. August Barbof. *de jure eccles.* lib. 1. cap. 39. § 4. num. 96.




### C A P U T C X V I I I .

**V**trum Legatus à latere, aut Nuntius, aut alij Prælati possint dispensare secum; & quid in Papa, aut Principe, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

#### S U M M A R I U M .

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius, aut alij Prælati possint secum dispensare: & quid in Papa, aut Principe, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

**H**anc quaestionem disputat eleganter Oliva *de foro Ecclesiae* 2. part. *quest.* 41.



### C A P U T C X I X .

**V**trum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium?

#### S U M M A R I U M .


**1** Legatus potest in sua Provincia, sicut Ordinarius in sua Diœcesi dispensare.

**2** Legatus à latere non potest dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus, nisi id specialiter ei sit indultum.

**I** cet Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit in sua

Provincia sicut Ordinarius in sua Diœcesi dispensare, Suar. *de Religione tit. de voto*, lib. 6. cap. 10. num. 8. Sanch. *in præcepta Decalog.* lib. 4. cap. 38. num. 3. Oliva *de foro Eccles.* 2. part. *quest.* 37. num. 5. ea declaratione, de qua Nos supra.

Attamen nec consentiente, nec contradicente Episcopo potest dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus, nisi ei specialiter sit indultum, ut ex alijs tenet Oliva *de foro Eccles.* 2. part. q. 38. num. 6. cum multis Pichon. *in tract. de matrimon. disp.* 6. de dispensat. cap. 2. num. 162. & 163. ubi etiam an possint dispensare in impedimento cognationis spiritualis orto ex Baptismo minùs solenni, & in impedimento publicæ honestatis, & in casu necessitatis. August. Barbof. *in c. Quia circa* 4. de consanguinit. & affinit. num. 7. & 8.



### C A P U T C X X .


**V**trum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit in sua Provincia creare Magistratus, aut aliquos Officiales, & Protonotarios, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & quando dicatur nova creatio officij; & quid in suo Episcopatu?

#### S U M M A R I U M .

**I** Utrum legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit in sua Provincia creare magistratus, aut aliquos Officiales, & Protonotarios, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & quando dicatur nova creatio officij; & quid in suo Episcopatu?

**H**anc quaestionem disputat pro una & altera parte, & eleganter resoluit Giurb. *cons.* 19. & *obs.* 100. Frances de Urrutigoyti *in var. resolutionib.* ubi etiam

etiam an possit creare protonotarios; & est omnino videndus, & declaratum fuit in provisione unius officij creati ab Illustrissimo Nuntio in Episcopatu Portuensi; & decisum quod erat nulla concessio facta anno 1672. & de Protonotarijs creatis ab eo, Tondut. *resol. benefic. cap. 200. num. 14.*




CAPUT CXXI.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit augere, aut præfigere numerum monialium, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo; & è contra.

SUMMARIUM

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit augere, aut præfigere numerum monialium, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo; & è contra.

1 Hanc quæstionem ex decreto Sacrosancti Concil. Trid. *ss. 25. de Regularibus. cap. 3.* tradit Tamburin. *de jure Abbatissar. disp. 5. quæst. 1. per tot. ubi num. 4.* refert decretum Sacræ Congregationis circa hoc.



CAPUT CXXII.


Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit esse Conservator Equitum Sancti Joannis Hierosolymitani. vulgò *dos Maltezes*, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius

cum ejus potestate possit esse Conservator Equitum Sancti Joannis Hierosolymitani, vulgò *dos Maltezes*, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

Hanc quæstionem resoluit affirmative ex Bulla Pauli V. & Gregorij XIII. Scano *in propugnaculo Sacræ Religionis Militaris. discept. 15. cap. 2. n. 20. & cap. 3. num. 22.* Carol. Marant. *respons. 53. num. 22. & respons. 89. num. 42. part. 5.* & in alijs Conservatoribus Monet. *de Conservator. cap. 4. num. 24. & seqq.*




CAPUT CXXIII.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possint instituire clericum sæcularem in Visitatorem alicujus Religionis regularis, & quid in Religioso alterius professionis.

SUMMARIUM.

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possint instituire Clericum Sæcularem in Visitatorem alicujus Religionis regularis; & quid in Religioso alterius professionis.

Hanc quæstionem eleganter exornat, & resoluit Peyrin. *1. tom. de offic. subditi Regular. quæst. 1. cap. 18. § 2. per tot.*




CAPUT CXXIV.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit cogere intrusum ad hoc ut ostendat titulum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

## SUMMARIUM.

**I** *Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit cogere intrusum ad hoc ut ostendat titulum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.*

**H**anc quæstionem resoluit affirmativè Frances de intrusione quæst. 70. n. 22. & quæst. 71. per tot. ubi etiam quando teneatur exhibere titulum, & quando præsumatur, vel non, & dicatur Canonicus: de quo etiam Parexa de instrumentor. edit. tit. 2. quæst. 2. Barb. in Concil. Trid. sess. 7. de reformat. cap. 5.




## CAPUT CXXV.

**Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possint irritare, dispensare, & commutare vota Religiosorum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.**

## SUMMARIUM.

**I** *Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possint irritare, dispensare, & commutare vota Religiosorum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.*

**H**anc quæstionem tractat Bordon. var. resolut. part. 1. num. 69. ubi quod non potest vota irritare, ex Sanch. lib. 4. cap. 33. num. 14. utique verò dispensare in omnibus votis Religiosorum, & quod potest ea commutare, ex eodem Sanch. ibi relato.



## CAPUT CXXVI.


**Utrum Legatus à latere, aut Nun-**

tius cum ejus potestate possit in gratijs uti verbo, fiat, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

## SUMMARIUM.

*Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit in gratijs uti verbo, fiat, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.*

**N**egativè resolvit Rebuf. in praxi beneficial. 2. part. signaturæ, pag. 99. num. 17 ubi quod solum summus Pontifex potest uti verbo, fiat, nisi expressè hæc prærogativa sit ei concessa.




## CAPUT CXXVII.

**Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit gesta per suum antecessorem revocare, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.**

## SUMMARIUM.

**I** *Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit gesta per suum antecessorem revocare, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.*

**N**egativè resolvit hanc quæstionem ex Socino, Surdo, Tusco Frater Antonius ab Spiritu Sancto nunc Episcopus Angolensis consult. 96. n. 45.



## CAPUT CXXVIII.

**Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit concedere sceminis facultatem ingrediendi monasteria virorū, vel mulierum, contradicente Archie-**

Archiepiscopo, aut Episcopo.

tantum canonicam prohibitis.

SUMMARIUM.

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit concedere fœmmis facultatem ingrediendi monasteria virorum, vel mulierum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

1 **A**ffirmativè resolvit idem Frater Antonius ab Spiritu Sancto consult. 59. num. 18. ex Mendo in statera opinionum, dissert. 13. quæst. 13. num. 179.



CAPUT CXXIX.


Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit cognoscere de causa matrimoniali, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

SUMMARIUM.

- 1 Cause matrimoniales pertinent ad Episcopum, aut ad ejus Vicarium.
- 2 Et pertinent etiam de Legatum de latere, aut Nuntium cum ejus potestate.

1 **L**icet causæ matrimoniales tantummodo pertineant ad Episcopum, vel ad ejus Vicarium generalem, ut tenet Barb. ad Concil. Trid.

2 Attamen de illis potest etiam cognoscere Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate. August. Barb. in cap. fin. de conjug. servor. num. 2.



CAPUT CXXX.


Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possint dispensare in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis lege  
Pars II.

SUMMARIUM.

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possint dispensare in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis lege tantum canonicam prohibitis? & n. 2.

**L**icet secundum aliquos Doctores Legatus possit dispensare in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis lege tantum canonicam prohibitis, quando esset in Provincia ita remota, ut facile Papam consulere nequiret, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo, ut per Gambar. de offic. Legati lib. 7. num. 375. & seq.

Attamen contrarium verius est; non potest enim in his impedimentis dispensare. Covar. de sponsalib. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 11. Henriq. in summa, lib. 12. cap. 3. n. 1. Azor. Instit. mor. p. 2. l. 5. c. 30. quæst. 15. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 6. n. 15. Aug. Barb. in c. quod dilectio 3. de consanguinitate, & affinitate, n. 4.



CAPUT CXXXI.


Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit cogere partem coram se personaliter comparere, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

SUMMARIUM.

1 Utrum legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit cogere partem, ut coram se personaliter compareat, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

**L**egatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate secundum jus non potest cogere partem ut coram se personaliter compareat, nisi habeat speciale

mandatum ad hoc, vel nisi necessitas juris hoc exigat, ut tenet Aug. Barbof. in cap. 1. de iudic. lib. 6.




## CAPUT CXXXII.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate possit causam appellatione remotâ committere, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

## SUMMARIUM.

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate possit causam appellatione remotâ committere, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

1 **N**egative resoluit Glos. mandamus, in cap. ultim. de verbor. significatione, & ibi Barbof. num. 14. Scaccia de appellat. quest. 16. limit. 1. num. 106. & 109. idem Barb. de clausulis, clausul. 9. num. 3.



## CAPUT CXXXIII.


Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate, possit dispensare in præcepto Ecclesiastico, de confitendo semel in anno, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

## SUMMARIUM.

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate possit dispensare in præcepto ecclesiastico de confitendo semel in anno, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

1 **H**æc quæstio resoluenda venit ex Soto in 4. distinct. 18. quest. 1. art. 5. Suar. 4. tom. disp. 36. sect. 1. num. 5. Bartho-

lom. de S. Faust. in tract. de pœnitentia, lib. 4. quest. 31. & 38. quos refert & sequitur Aug. Barb. ad Concil. sess. 14. de sacra pœnuitentia, cap. 5. num. 18.




## CAPUT CXXXIV.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate possit commutare voluntates defunctorum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

## SUMMARIUM.

1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum eius potestate possit commutare voluntates defunctorum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

1 **H**anc quæstionem resoluit Mone-  
ta de commutatione ultimar. volunt. cap. 5. num. 348. & seqq. August. Barb. ad Concil. sess. 22. de reform. cap. 6. n. 9.



## CAPUT CXXXV.


Utrum Archiepiscopus, aut Episcopus possit visitare monasteria Monialium exemptarum circa clausuram, etiam contradicente Legato à latere, & Nuntio cum eius potestate; & concedere licentiam moniali infirmæ eundi ad balnea?

## SUMMARIUM.

1 Utrum Archiepiscopus, aut Episcopus possit visitare monasteria monialium exemptarum circa clausuram, etiam contradicente Legato à latere, aut Nuntio cum eius potestate, & concedere licentiam moniali infirmæ eundi ad balnea.

Hanc

**H**anc quaestionem disputat cum multis Aug. Barb. in collectan. ad Concil. Trid. sess. 25. de Regularib. cap. 5. per tot. Themud. 1. part. decis. 26. & 62. num. 39. & 40 & 63 ubi refert decisum in Sacra Rota Romana.




CAPUT CXXXVI.

**V**trum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit uti clausula, non obstante, in legis derogatione, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & quid in decreto irritanti, & etiam in motu proprio?

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit uti clausula, non obstante, in legis derogatione, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & quid in decreto irritanti, & etiam in motu proprio.

**H**anc quaestionem negativè resoluit Gloss. in cap. fin. de hæreticis in 6. quam refert & sequitur Carol. Rub. in con. s. 156 num. 4. sed potest apponere decretum irritans, ut ex Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. ult. num. 20. August. Barb. in cap. presenti 3. de offic. Legati lib. 6. num. 8. & cap. ultim. num. 5. & per tot. an possit conferre cum clausula, Motu proprio.



CAPUT CXXXVII.


**V**trum si Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate deleget alicui causam ante suum decessum, an cesset commissio eo ipso quod Legatus egredietur limites Provinciæ animo

non revertendi; & delegatus non obstante decessu possit exercere jurisdictionem, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

**I** Utrum si Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate deleget alicui causam ante suum decessum, an cesset commissio eo ipso, quod Legatus egredietur limites Provinciæ animo non revertendi; & delegatus non obstante decessu possit exercere jurisdictionem contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

**H**anc quaestionem resolvit Molina de iustitia, & jure tract. 5. disp. 9. num. 12. & seqq. Tusc. lit. L. concl. 165. Fragol. de regim. Reip. part. 2. lib. 4. disput. 10. §. 5. num. 145.



CAPUT CXXXVIII.

**V**trum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit aliqua dispensare contra jus commune, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à Latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit aliqua dispensare contra jus commune, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

**H**anc quaestionem resolvit per varios casus Tusc. lit. L. conclus. 162. & 163.






CAPUT CXXXIX.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit commutare onera impossita in dispensatione, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit commutare onera impossita in dispensatione, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

**H**anc quæstionem resoluit Tusc. lit. L. conclus. 166.




CAPUT CXL.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit absoluerè ab irregularitate, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit absoluerè ab irregularitate, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

**H**anc quæstionem resoluit Tusc. lit. L. conclus. 167.



CAPUT CXLI.


Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit concedere Paulinas, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

centè Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit concedere Paulinas, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

**H**anc quæstionem resoluit affirmativè Bayo in praxi ecclesiastica; lib. 3. cap. 1. num. 2.




CAPUT CXLII.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare in interstitijs, & extra tempora, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare in interstitijs, & extra tempora, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.

**Q**uamvis in interstitijs possit dispensare Episcopus in casibus, de quibus Concilium Trident. sess. 23. de reformat cap. 13. & ibi Barbof. in illis, & ut accipiantur Ordines extra tempora, potest etiam dispensare Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate, ut tenet Bayo in prax. ecclesiast part. 2. lib. 3. cap. 1. num. 10. de qua re Tondut. resol. benef. cap. 200. num. 34. & seqq.



CAPUT CXLIII.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit confirmare concordiam, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SVM.

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit confirmare concordiam, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

**H**anc quæstionem resolvit affirmativè Bayo dict. cap. 1. num. 15. & 16.

C A P U T CXLIV.

**Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare in homicidio casuali, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?**

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare in homicidio casuali, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

**H**anc quæstionem resolvit affirmativè Bayo dict. cap. 1. num. 19.

C A P U T CXLV.

**Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare cum malè ordinatis ante ætatem, aut sine patrimonio, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?**

SUMMARIUM

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare cum malè ordinatis ante ætatem, aut sine patrimonio, contradicente Ar-

chiepiscopo, aut Episcopo?

**A**ffirmativè resolvit hanc quæstionem Bayo dict. cap. 2. num. 20. & 31. & Garcia de benefic. part. 7. cap. 4. n. 1. & seqq.

C A P U T CXLVI.

**Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare in oculi dextri, aut Canonis defectu, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & quid in defectu pedis, aut manus, aut alterius membri?**

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare in oculi dextri, aut Canonis defectu, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & quid in defectu pedis, aut manus, aut alterius membri.

**H**anc quæstionem resolvit affirmativè Bayo dict. cap. 1. num. 24. 25. & 27.

C A P U T CXLVII.


**Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit concedere facultatem ad ossa defuncti transferenda, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?**

SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit concedere facultatem ad ossa defuncti transferenda.

*da, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?*

**H**anc quæstionem resolvit affirmativè Bayo dict. cap. 1. num. 30.




### C A P U T CXLVIII.

Vtrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit dispensare in monacho, aut moniali illegitimo, ad hoc ut sit Prælati, aut Abbatiſſa, & ad hoc ut eximatur ab officij electione?

#### SUMMARIUM.

**I** Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit dispensare in monacho, aut moniali illegitimo ad hoc ut sit Prælati, aut Abbatiſſa, & ad hoc ut eximatur ab officij electione.

**A**ffirmativè resolvit Bayo dict. lib. 3. cap. 2. n. 1. 2. & 3. de quo vide Covar. in 4. part. 2. cap. 8. §. 9. num. 1. Molin. de iustitia disp. 179. pag. 986. Rodriguez in summa, §. religiosos, cap. 107. & §. Abbateſſa, num. 4. cum seqq.



### C A P U T CXLIX.


Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit concedere facultatem ad hoc ut exeat Novitius è monasterio per aliquorum dierum spatium, ad hoc ut expleret suam voluntatem, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

#### SUMMARIUM.

**I** Utrum Legatus à latere, aut Nuntius

*cum ejus potestate possit concedere facultatem ad hoc ut exeat Novitius à monasterio per aliquorum dierum spatium, ad hoc ut expleret suam voluntatem, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?*

**A**ffirmativè resolvit Bayo dict. cap. 1. num. 5. Zerol. in praxi, 1. part. §. Moniales, num. 3.




### C A P U T CL.

Vtrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit concedere facultatem, ut puella maior septem annorum possit esse in monasterio?

#### SUMMARIUM.

**I** Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit concedere facultatem, ut puella maior septem annorum possit esse in monasterio.

**H**anc quæstionem ex causa justa resolvit affirmativè Bayo dict. cap. 2. num. 6. Zerol. in praxi, 1. part. §. Moniales, num. 10. & 11.



### C A P U T CLI.

Vtrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit concedere facultatem, ut monialis possit habere famulam, contradicente Archiepiscopo aut Episcopo; & utrum dispensatio, ut duæ moniales unam servam habeant, exspiret mortuâ unâ illarum, vel famulâ deficiente possint aliam habere?

SUMMARIUM.

**I** Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit concedere facultatem, ut monialis possit habere famulam, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: & utrum dispensatio, ut duæ moniales unam servam habeant, exspiret mortuâ unâ illarum, vel famulâ deficiente possint aliam habere?

**I** Hanc quæstionem resoluit Bayo dict. cap. 2. num. 7. Themud. i. part. decis. 14. & 15.


CAPUT CLII.

Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit dispensare, ut unus frater laicus sit Sacerdos, & ut habeat vectigal, & ut possit esse extra monasterium, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

SUMMARIUM.

**I** Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit dispensare ut unus frater laicus sit Sacerdos, & ut habeat vectigal, & ut possit esse extra monasterium, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?

**I** Affirmativè resolvit hanc quæstionem Bayo dict. c. 2. num. 8. & seqq. & lib. 2. quæst. 48. num. 7. ubi etiam quod dispensatio Nuntij non habet effectum in tertij præjudicium, de quo vide Tondu. quæstion. benefical. cap. 200. ubi agit de facultatibus Legati Avenionensis, & eas explicat, & tractat de illis, & an extendantur ad alios Legatos & Nuntios: de quo etiam 2. part. cap. 3. §. 6. per tot.




CAPUT CLIII.

De facultate Nuntij, & quæ possit exercere, vel non, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo, ad varios casus ultra relatos.

SUMMARIUM.

**I** De facultate Nuntij, & quæ possit exercere, vel non, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo, ad varios casus ultra relatos.

**D**E hac facultate in terminis est videndus Garcia de benefic. 5. p. cap. 3. §. 1. de facultate Nuntij, Tondu. dict. cap. 200. & per Æneam de Falcon. inter tractat. Doctor. tom. 15. de reservatione beneficior. 2. p. & tom. 13. p. 2. tract. de Cardinalib. Legatis: Barbat. Sicul. pag. 132. & per Nicol. Boer. in tract. de potest. Legati à latere, pag. 143. & per Gambar. in tract. de offic. atque authoritate Legati à latere, pag. 150. mit. & per Brunel. in tract. de dignitate & potestate Legati, pag. 230. mit. & per Villadieg. in tract. de Legato, pag. 258.




CAPUT CLIV.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate, aut suus Auditor possit applicare pœnas pecuniarias impositas propter delictum commissum in partibus ad suum Tribunal, vel pertineant ad Sanctam Bullam Cruciatæ, contradicente Archiepiscopo, vel Episcopo?

## SUMMARIUM.

1 *Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate, aut suus Auditor possit applicare pœnas pecuniarias impositas propter delictum commissum in partibus ad suum Tribunal, vel pertineant ad Sanctam Bullam Cruciatæ, contradicente Archiepiscopo, vel Episcopo.*

**H**anc quæstionem resolvit negativè ex Riccio decis. 290. p. 2. Thoro 2. part. in compend. decis. l. N. verbo Nuntius Apostolicus, pag. 31. colum. 1. & pag. 33. col. 1. & ex speciali privilegio concessio Illustrissimo Domino Commissario generali similes pœnæ pertinent ad Sanctæ Cruciatæ Bullam, & non possunt applicari Tribunali Nunciaturæ. Thoro in compend. decis. verso Nuntius, & Pœna.



## CAPUT CLV.

**De incompatibilitate beneficiorum, & utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare super pluralitate illorum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo?**

## SUMMARIUM.

1 *Incompatibilia sunt duo, vel plura ecclesiastica beneficia, maximè curam animarum habentia; seu duæ pluresve apud unum Ecclesiæ, personatus, seu dignitates.*

2 *Et etiam duæ Commendæ.*

3 *Et etiam duæ Capellaniæ.*

4 *Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare super pluralitate eorum, seu illarum.*


1 **C**um sint incompatibilia duo, vel plura ecclesiastica beneficia, maximè curam animarum habentia, seu duæ, pureve apud unum Ecclesiæ, Per-

sonatus, seu Dignitates, quia concursus earum est prohibitus de jure canonico, c. Sanctorum, 70. distinct. cap. In apibus 7. quæst. 1. cap. Unio 10. q. 3. c. Clericus, cum tribus seqq. 21. quæst. 1. cap. Dudum 54. de electione, cap. Referente 7. c. Præterea 14. cap. De multa 28. de præbendis, & dignitatib. cap. Quia nonnulli, de clericis non residentib. cap. Literas 9. de concessione præbendæ, extrava-ganti Execrabilis, de præbendis, & dignitatib. Concil. Trid. cap. 4. sess. 7. de reformat. & cap. 17. sess. 24. ubi latè August. Barbof. explicat, & militat, & eleganter Roxas de incompatibilitate maioratus part. 7. cap. 1. num. 1. & seqq.

Et etiam duæ Commendæ, ut tenet 2 Roxas dict. cap. 1. num. 41. & Solorzan. de jure Indiar. tom. 2. lib. 2. cap. 5. num. 79.

Et etiam duæ Capellaniæ, & quando, 3 ut cum multis tradit eleganter Joan. Marques de Cuenca y Mescua manifesto juridico y apologetico por los Capellanos de S. Anna de Sevilla, como fiscal do Arçobispado.

Venit disputandum utrum Legatus à 4 latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit dispensare super incompatibilitate, aut pluralitate Beneficiorum, Commendarum, aut Capellaniarum: de qua quæstione, & quando possit, vel non, sunt videndi Kochier ad regul. Cancellar. 52. num. 10. Garcia de benefic. part. 1. l. cap. 5. num. 258. & seqq. Bajo in prax. Ecclesiastic. part. 2. lib. 3. cap. 1. num. 23.



## CAPUT CLVI.

**Utrum si Nuntius Apostolicus, qui de causa cognoscit, recusetur, recusationem non admittat, nec arbitros eligat, possit recurri ad Archiepiscopum tanquam delegatum Sedis Apostolicæ, ut Nuntium compellat ad arbitros eligendos; vel debeat recurri ad Principem, vel ad appellationis medium. Et quid è contra: & quid**

quid etiam in suspitione posita Archiepiscopo, aut Episcopo, aut Nuntij Auditori, aut Judici commissario ab eo nominato.

SUMMARIUM.

- 1 Nuntius cum potestate Legati à latere, & etiam Cardinalis Legatus à latere possunt recusari.
- 2 Quando Nuntius Apostolicus recusatur, quid dicendum.
- 3 Archiepiscopi, aut Episcopi possunt recusari, nisi in visitationis actu: & num. 4.
- 5 Si recusentur, quis cognoscat.
- 6 Si recusetur Auditor Nuntij, aut Judex commissionis, quomodo procedatur.

1 **C**UM Nuntius cum potestate Legati à latere, & etiam Cardinalis Legatus à latere possint recusari, ut multis citatis tenet Frances de offic. Cancel. quest. 11. num. 17. & 22. de quo vide Mend. in praxi, part. 2. cap. 1. num. 36. solet in hac Curia dubitari, quid faciendum quando Nuntius Apostolicus, qui de causa cognoscit, recusatur, qui recufationi non desert, nec arbitros eligit, juxta regulam textus in cap. Suspicionis, de offic. delegati, quid eo casu agendum sit.

2 Primum se offert appellationis remedium, sed periculo plenum, propter moram: item etiam potest dici in casu esse recurrendum ad loci Ordinarium, Archiepiscopum, aut Episcopum, qui tanquam delegatus Sedis Apostolicæ poterit compellere recusarum, ut in arbitros se compromittat, argumento textus in cap. 1. de privileg. lib. 6. renovati in Concilio Trident. sess. 7. de reformat. cap. 14. Vel potest dici ad Principem spectare compellere, ut arbitri eligerentur juxta formam Concilij sess. 14. de reformat. cap. 5. Cevall. 4. part. quest. 1. num. 777. passim enim videmus inter colluctantes Conservatores cum Ordinarijs Reges solitos manus apponere, & eos compellere ut arbitros assumant, tanquam


protectores, & defensores Concilij.

Et cum Archiepiscopi, aut Episcopi possint recusari, ut tenet Giurb. observ. 68. num. 17. & 18. Baron. in annot. ad sing. 27. tom. 3. de citat. & de effect. immic. effect. 116. num. 59.

Nisi in visitationis actu, ut tenet Ciardin. cap. 65. num. 20. Baron. dict. effect. 116. num. 60.

Si recusentur, potest cognoscere Nuntius Apostolicus de eius recufatione, & suspitione; & ad illu n remittere causam debet, propter suspitionem intentatam ex cap. Cum speciali 61. de appellat. August. Berbol. vol. 24. num. 21. & 27. explicat cap. Requis 41. de appellat. Narbon. in l. 59. gloss. 1. num. 232.

Et si recusetur Reverendus Auditor Nuntij, aut Judex commissionis, postquam ipse procedit in causa, & in ea non admittitur, poterit pars ad Nuntium Illustrissimum appellare, ut cognoscat super recufationis justitia, & in eo interim Nuntius inhibet Judicem commissionis, à quo appellatur, ut de praxi testatur Fermosin. super cap. fin de libelli oblatione, in prax. Tribunal, quest. 8. num. 37. pag. 54.




CAPUT CLVII.

Vtrum si Episcopus concurrat cum Nuntio, aut Legato à latere in faciendis diligentijs circa inquisitiones Episcopi electi, præcedat Nuntius, aut Legatus, an Episcopus loci.

SUMMARIUM.

- 1 Utrum si Episcopus concurrat cum Nuntio, aut Legato à latere in faciendis diligentijs circa inquisitiones Episcopi electi, præcedat Nuntius, aut Legatus, an Episcopus loci.

1 **H**anc questionem tractat Doctissimus Andrade in libro intitulado de goens Episcopos, cap. 4. per tot.



## CAPUT CXLVIII.


Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit cognoscere de appellatione interposita à Tribunali Sanctæ Cruciatæ?

## SUMMARIUM.

- 1 De iudicibus delegatis à Commissario Bullæ Sanctæ Cruciatæ, & ad quem pertinet cognitio appellationis ab eorum sententia interpositæ.
- 2 De appellatione sententiæ latæ à Tribunali Sanctæ Cruciatæ non potest cognoscere Nuntius.

1 **D**E iudicibus Sanctæ Cruciatæ, qui vulgò dicuntur *Subdelegados da Santa Cruzada*, qui nominantur à Præsidente Cruciatæ, fiet appellatio ad eundem Præsidentem Cruciatæ, & ad suum Tribunal, ejusque Consilium supremum, ut testatur Fermosin. in terminis *in c. Si duobus*, de appellat. n. 63.

2 Sed de sententia lata à Præsidente Tribunalis Cruciatæ cum Tribunali, in materia exactionis non admittitur appellatio, nec recursus, ut ex lege Castellæ tradit eleganter Fermosin. *in cap. 11. q. 4. de appellat. num. 12. & 13.* eleganter in terminis nostri Tribunalis Sanctæ Cruciatæ D. Antonius Mascharenhas *in lib. intitulato, Manifesto sobre a jurisdicção do Tribunal da Bulla da Santa Cruzada, com o Reverendissimo Colletor.*



## CAPUT CLIX.


Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit se intromittere aut cognoscere de delicto hæresis, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo

Inquirente generali, aut Dominis Inquisitoribus.

## SUMMARIUM.

- 1 Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit se intromittere, aut cognoscere de delicto hæresis, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo Inquirente generali, aut Dominis Inquisitoribus.

**H**Æc quæstio negat. vè resolvenda venit ex extravaganti Cùm Matthæus, de hæreticis, & ibi Barbof. Farin. q. 186. num. 4. Deibene de offic. sanctæ Inquisitionis, p. 2. dub. 195. sect. 18. n. 2.



## CAPUT CLX.

De visitationis origine, antiquitate, & visitandi obligatione, aut jurisdictione: & an possit Episcopus tanquam Apostolicæ Sedis delegatus visitare Ecclesias Hierosolymitanorum; & an teneatur eas visitare per seipsum, vel possit ad eas visitandas Visitatores nominare: & quomodo adversus impediens procedere debeat, non obstante Nuntij contradictione: & quid quando Papa nominat Visitatorem, vel Nuntius ex ipsius facultate; an talis Visitator sit obstaculum ad hoc ut Visitator Episcopi visitet?

## SUMMARIUM.

- 1 De visitationis origine, & antiquitate.
- 1 Munus Pastorum est visitare gregem.
- 3 Visitatio est de Juribus Episcopalibus, & in ea fundatur obligatio Episcopalis.
- 4 Episcopus an possit visitare Ecclesias exemptas.
- 5 Et

5 Et quid in Ecclesijs Religionis S. Joannis Hierosolymitane & num. 6. usque ad 11.

12 Episcopus an teneatur visitare per se ipsam, vel possit nominare, aut delegare Visitatores, & quando: & numeris sequentibus.

15 Interueniente justa causa potest delegatus subdelegare.

17 Visitatores constitui ab Episcopis jus obtinent visitandi.

18 Capitulum Sede vacante succedit in iure visitandi.

Visitator potest petere libros visitationum præteritarum, & ex illis probatur possessio visitandi, ibid.

19 Observantia debet seruari.

20 Possessio in iuribus negativis non acquiritur absque prohibitione, & acquiescentia.

21 Non obstante possessione immemoriali, & præscriptione, potest Episcopus, aut ejus delegatus visitare: & quare n. 22.

22 Quis cognoscat de appellatione interposita in casu visitationis.

23 Quid faciendum si exemptus non obediat, & an possit puniri ab Ordinario.

26 De materia Visitacionis.

27 An Legatus à latere possit Visitare, & non obstante sua visitatione Visitator Episcopi: & quid comprehendatur in facultate visitandi.

**E**pisopus, qui Ecclesie suae sponsus ab Spiritu Sancto positus ad eam regendam, ac gubernandam, quam proprio sanguine Jesus Christus Dominus noster & acquisiuit, & sanctificavit, tenetur commissum sibi gregem omni studio, & conatu ante oculos habere, ut eum ab omni exteriori damno, internisque animi imminentibus periculis, tanquam vigilans Pastor custodiat. Quemadmodum enim Pastores sæpius gregem suum invisunt, lustrant, numerant, ne quid eorum incuriã pereat: ita Episcopi nullã ratione facilius commissi sibi gregis salutem, ac incolumitati consulunt, quam si sæpius eum invisant, ac lustrant, ac quidquid mali furti dæmonum arte irrepserit, radicitus extirpandum cura-

verint. Lustrari enim, & visitari Diocesanes à proprijs Prælati, & superioribus, est eorum obligatio, antiquissimaque consuetudo, & penè Ecclesie coætanea est, more accepto ab Hebræis, & Gentilibus; in veteri enim lege id docuerunt facto suo Sacerdotes missi à Rege Josaphat lib. 2. Paralip. cap. 17. ibi: *Habentes librum legis Domini circuibant urbes Juda, & docebant populos.* Et visitationis apud Judæos usitatae mentio extat in cap. 30. Exodi, juxta ignoti Interpretis versionem, quã utitur D. Ambrosius epist. 1. ibi: *Quod si acciperis computationem filiorum Israel in visitatione ipsorum, & dabunt singuli redemptionem animæ Domino, & non erit in eis ruina.* In novo Testamento habemus Principem Pastorum Christum Dominum, qui apud Matthæum cap. 4. circuit totam Galilæam, civitates omnes, & castella, docens in Synagogis, & prædicans Evangelium: & apud Lucam cap. 8. *Iter facit per civitates, & castella prædicans, & evangelizans regnum Dei.* Et de D. Paulo refertur Actuum Apost. cap. 15. quod perambulabat Syriam, & Ciliam, confirmant Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum. Et Magistratus politicos visitationem usitasse constat ex l. congruit. ff. de offic. Præsidis, ubi refertur, Præsidem peragrasse provinciam siliam, ut eam ab omnibus malis repurgaret. Et de Philippo Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis refert Josephus lib. 15. antiquit. cap. 6. & 9. solitum iter facere cum paucis selectis comitibus, subsequente sella, in qua sedens jura redderet. Quare si quis ex cursu opem ejus invocaret, sine dilatione, mox ibi sellã positã residentem causam cognovisse, aut fontem damnassee, aut absolvisse innoxium. His ergo exemplis moti Ecclesie PP. varijs Canonibus statuerunt, ut Prælati dioceses suas visitarent. Concil. Brachar. 2. can. 1. refertur in cap. Placuit 10. quest. 1. cap. crevimus, cap. 11. ead. causa & quest. Concil. Carthag. can. 53. ibi: *Constitutum est in Concilio Hipponensi, si singulas provincias tempore Concilij visitandas esse.* Meldense can. 39. sic habet: *Quorundam*



*Episcoporum reprehensibilis, immo dam-  
nabilis consuetudo omnimodis corrigatur,  
qui plebes sibi creditas, aut raro, aut nun-  
quam per seipsum juxta ordinem Evangelii-  
cum, Apostolicum, atque Ecclesiasticum,  
visitant. Taurin. cap. 1. in fin. sic edicit:  
Hoc Concilio utiliori decretum est, ut si pla-  
cet memoratarum urbium Episcopis, unus-  
quisque de his viciniores sibi inter Provin-  
cias vindicet Civitates, atque eas Ecclesias  
visitet, quas oppidis suis vicinas, & pro-  
ximas magis esse constiterit. Trident. sess.  
6. cap. 3. & sess. 21. de reformat. cap. 8.  
referunt Crespetius in summa, verbo Vi-  
sitatio, Ant. August. in epit. jur. lib. 4. tit.  
63. & horum Visitorum mentio extat  
apud Gregor. lib. 3. tit. 63. ad Maxim.  
Syracus. ibi: Visitatores Ecclesiarum, Cle-  
ricique eorum, qui cum ipsis per suæ civita-  
tis paræcias fatigantur.*

2 Præcipuum ergo Pastorum munus  
est visitare gregem, & lustrare populum  
suum ad confirmandos fideles, & ut per  
eos illis innotescant quæ in diœcesi in-  
novanda, mutanda, temperandaque  
sunt, ut adimpleant quod de illis refer-  
tur Proverb. cap. 27. ibi: *Cognoscent di-  
ligenter vultum pecoris, quem non visitant?*  
Et cap. 10. Ioan. ibi: *Vocabunt oves no-  
minatim.*

3 Et cum visitatio sit de juribus Epis-  
copalibus, ut est textus expressus in cap.  
*Conquerente, de offic. Ordinarij*, quia in  
ea fundatur obligatio Episcopalis ha-  
bens in visitatione suæ diœcesis jus fun-  
datam, juxta textum in cap. *Cum Epis-  
copus, de offic. Ordinarij, cap. Cum vene-  
rabilis 21. de censib. cap. 1. § ultim. eod. tit.  
lib. 6. cap. Omnes Basilicæ, 16 quæst. 7. Pa-  
storal. Reg. part. 2. quæst. 3. n. 57.*

4 Ecclesias exemptas, necnon & Mo-  
nasteria Regularium, in quibus immi-  
net cura animarum, personasque Regu-  
lares ibidem curam exercentes subje-  
ctas esse visitationi, jurisdictioni, & cor-  
rectioni Episcopi, in cuius diœcesi sita  
sunt, in ijs quæ ad dictam curam perti-  
nent, decisum est in Concilio Trident.  
*can. 8. sess. 7. & cap. 8. de reformat. sess.  
21. & cap. 9. de reformat. sess. 24. & cap.  
11. sess. 25. de Regularib. de cuius mate-  
ria latè agunt Solorzan. de jur. Indiar.*

*tom. 2. lib. 3. cap. 17. num. 40. cum seqq.  
August. Barbof. in collect. ad dict. Concil.  
dict. cap. 8. & 11. & de potest. Episcopi 3.  
part. alleg. 74. num. 18. & de jur. Eccles.  
lib. 1. cap. 43. num. 134. ubi omnes, qui  
de hac materia scripserunt latè refert,  
& Bullam Gregorij XV. de Exempto-  
rum privilegijs, quæ incipit *Inscrutabi-  
li*, sub data nonis Februarij 1622. ubi  
Summus Pontifex circa visitationem,  
jurisdictionem, & correctionem Epis-  
copi in Exemptos curam animarum ha-  
bentes ita statuit, ut patet ex ejus teno-  
re, quem ad literam refert.*

In qua Gregorij XV. Constitutione  
comprehensam esse Religionem Hiero-  
solymitanam indubium est ex ipsamet  
Constitutionis litera in derogationem  
privilegiorum, ibi: *Militiarum etiam  
sancti Joannis Hierosolymitani*: necnon  
in decretis Concilij Trident. ex rescrip-  
to Pij V. 139. incipit, *Exposcit*, de quo  
in libro intitulo, *Privilegios Apostolicos  
da sagraaa Religiam de S. Joam do Hos-  
pital de Hierusalem*, pag. mibi 27. ubi sic  
statuit, ut cessaret controversia inter  
Episcopos, & privilegiatos ejusdem Or-  
dinis, ut patet ex verbis ibi, quorum  
partem refert Aug. Barbof. de potest. Episc-  
copi 3. part. alleg. 74. num. 26.

Idem statutum est in Bullis Gregorij  
XIII. anno 1578. Xysti V. 1586. Grego-  
rij XIV. 1591. Clement. VIII. 1592.  
Urbani VIII. 1624. & Innocentij X.  
1648. & docent Kochier de jurisdic. in  
*Exemptos 2. part. quæst. 45. num. 11. Au-  
gust. Barbof. de potest. Episcop. 3. part. al-  
leg. 74. n. 26. ibi: Ecclesie Militum San-  
cti Joannis Hierosolymitani, quibus cura  
animarum incumbit, in concernentibus ip-  
sam curam Ordinario sunt subjectæ, & ab  
eodem visitari possunt, ex rescripto Pij V.*

Idem tenet lib. 1. de jure Ecclesiastico,  
c. 43. num. 137. ibi: *Ex quibus primò in-  
fertur Ecclesias Militum Sancti Joannis  
Hierosolymitani, quibus cura animarum  
incumbit, in concernentibus ipsam curam  
Ordinario esse subjectas, & ab eodem visi-  
tari posse, ex rescripto Pij V. & paulò in-  
frà ibi refert decisum in Sacra Congre-  
gatione Concilij in verbis sequentibus:  
Unde sacra Congregatio Concilij in Augu-  
stana*

stana 26. Junij 1627. censuit Rectores in Ecclesijs Sancti Joannis Hierosolymitani curam animarum secularium exercentes subesse in omnibus visitationi, correctioni, & jurisdictioni Episcopi in ijs, quæ concernunt curam, & Sacramentorum administrationem.

8 Tenet etiam in collectan. ad Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 8. num. ibi: Et curam animarum, &c. Ecclesias ubi cura animarum exercetur visitari posse ab Ordinarijs, etiamsi illæ essent Militum Hierosolymitanorum. Et summa Apostolicar. decision. collectan. 728. num. 2. ubi refert ea, in quibus Episcopus visitare potest juxta formam motus proprii Pij V. ibi: Visitare possunt Episcopi tanquam Ordinarij Ecclesias Parochiales, aut curatas quocvis modo subjectas Militibus Sancti Joannis Hierosolymitani, in us quæ pertinent ad curam, & exercitium animarum, juxta formam motus proprii felici recordationis Pij V. quibus verbis intelligitur Episcopos visitare posse non solum Parochos à dictis Militibus deputatos, quoad eorum habilitatem ad administranda Sacramenta, investigando si eo decore, & eo in loco, quo decet, conserventur; sed posse etiam mandare restaurari dictas Ecclesias, si eas repereant minus decentes, & commodas ad dictam administrationem, ac demum alia, quæ Sacramentorum administrationi sunt annexa, utpote paramenta Sacerdotum, quibus in administratione utuntur; baldachinum, quod delictum sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ ad infirmos inservit, & alia similia. Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Perusina, 11. Januarij 1603. teste Sellio in selectis Canon. cap. 6. num. 3. & eadem verba refert de jur. Eccl. s. lib. 1. cap. 14. num. 22.

9 Resolvit etiam Piafec. in prax. Episcop. part. 2. cap. 3. n. 46. Corona de potest. Episcopi tract. 3. cap. 10. n. 9. Ugolin. de off. & pot. est. Episcopi cap. 20 §. 4. num. 2. Tamburin. de jur. Abbat. tom. 3. disp. 5. q. 11 num. 49. Rota apud Farin. tom. 1. decis. 396. & tom. 2. decis. 493 & eleganter Alexand. Sperell. decis. 21. n. 53. ibi: Infertur decimosexto sub alio decreto Concilij Trident. sess. 25. cap. 11. de regul. quo statuitur personas Regulares exercentes animarum

curam in monasterijs, quibus ea imminet, quoad ipsam curam, Sacramentorumque administrationem subesse jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sita sunt, comprehendi etiam milites Sancti Joannis Hierosolymitani. Piafec. in prax. Episcop. part. 2. cap. 3. num. 46. Ugolin. de offic. Episcopi cap. 20 §. 4. n. 2. Berbof. de offic. Episcopi p. 3. alleg. 74. n. 26. Ricc. in prax. resol. 176. Kochier de jurisdic. Ordin. in exempt. p. 2. q. 45. num. 11. & ita nominatim disponitur in dicto decreto Sac. Concil. Tridentini. Sed quoniam prædicti Equites prætendebant illi derogatum fuisse per eorum privilegia, ideo felic. record. Pius V. in sua constitu. 136. de qua in Bullario no. 10. tom. 2. fol. 347. necnon Gregorius XIII. in sua constitu. super dictorum privilegiorum moderatione, edita sub die 23. Novembr. 1580. in cap. Circumspecta, impressa in calce stabilimentorum, & in eodem tom. 2. Bullar. fol. 687. expresse declaravit dicta privilegia, illorumque confirmationem non comprehendere Ecclesias, neque personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, sed in his dicti Concilij Trident. decreta omnino servari debere, prout etiam disposuit S. D. N. Urbanus VIII in sua Constitutione 15. §. 10. in 4. tom. Bullar. fol. 245 edita super confirmatione privilegiorum dictæ Religionis.

Resolutum etiam testatur Ricc. in 10 prax. var. resolut. resol. 176. ubi proponendo si nihil in casum num. 1. ita resoluit n. 2. in verbis, ibi: Hoc elicitur à Concilio Trident. sess. 24. cap. 9. & sic ut redeam ad petita, dico ex supradictis Episcopos posse visitare omnes Ecclesias exemptas, curatas, & non curatas, & hoc extendi etiam ad Ecclesias Hierosolymitanorum, secundum Bullam Pij V. quæ incipit Exposcit, ubi in his, quæ concernunt curam animarum, & Sacramentorum administrationem, subjiciuntur prædictæ Ecclesiæ jurisdictioni Episcoporum.

Trahit etiam Novar. in Lucerna Regular. verbo Visitare, n. 10. ibi: Visitare possunt Episcopi Ecclesias Militum Hierosolymitanorum curam animarum habentes, vigore Bullæ Pij V. incipit Exposcit: quem etiam sequitur novissimè Hieronym. Nicol. in flosculis, sive notabilibus præcti

practicis, verb. *Visuatio ordinaria*, pag. 375. vers. *Etiam Parochias subiectas Religioni Hierosolymitanæ*. Et est praxis nostri Regni Portugalliae, prout testatur Mend. in prax. 2. part. lib. 2. cap. 3. de *Visitatore*, num. 31. §. *Item Ecclesiae*, ibi: *Item Ecclesiae Militum Sancti Joannis Hierosolymitani, quibus cura animarum incumbit, in concernentibus ipsam curam Ordinario sunt subiectae, & ab eodem visitari possunt, ex rescripto Pij V.*

12 Et quamvis hanc cognoscendi, custodiendi, & emendandi oves suas vigilantiam, & studium in v. sitatione per seipso personaliter exequendam adhibere teneantur Episcopi, ex sacrosancti Concilij Trident. dispositione in c. 4. sess. 6. de *reformat.*: ibi: *Quominus à suis Episcopis, & alijs maioribus Prælatibus per seipso solos. Et ibi Barb. in collectan. n. 4. ibi: Visitare si velit Episcopus ex hoc decreto debet id personaliter agere. & n. 17. ibi: Per seipso, personaliter scilicet, & non per Vicarios, etiam Generales, etiamsi ogeretur de visitandis hospitalibus, juxta cap. 8. sess. 22. de reformat. latè Joannes Sanch. in selectis, disp. 50. n. 1. cum seqq. & de potest. Episcopi p. 3. alleg. 73 n. 2. ibi: Hanc cognoscendi, custodiendi, & emendandi oves suas vigilantiam, & studium in v. sitatione per seipso personaliter exequendam adhibere tenentur Episcopi: & alleg. 74. n. 13. ibi: *Item poterit visitare Ecclesias exemptas, sed tunc per seipsum tantum.* Et de jure ecclesiastico lib. 1. cap. 14. n. 6. ubi similia verba refert.*

13 Attamen dato legitimo impedimento, aut causa, quo minus id præstare non possint Episcopi, possunt visitatorem nominare, & ab eo visitatio fieri debet, ut disponit Sacrosanctum Concil. Trident. sess. 24. de *reformat.* c. 17. 3. ibi: *Patriarchæ, Primate, Metropolitanæ, & Episcopi propriam Diocesim per seipso, aut si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium visitatorem, si quot annis totam propter ejus latitudinem visitare non potuerunt, saltem maiorem ejus partem ita tamen ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.*

14 Et ibi Barbos. in *collectan.* num. 3. mul-

tos refert supponendo hanc resolutionem esse certam: & melius d. sess. 6. cap. 4. num. 17. ibi: *Secus si velit visitare, ex alio Concilio decretis, cum per suum Vicarium Generalem id agere possit, aut per Visitatorem, si modò legitime impeditus fuerit, ut præmissum est infra, cap. 6. sess. 25. de reformat.* Sic decisum referunt Solorzan. & eadem verba refert de *jur. Eccles.* d. cap. 14. num. 6.

Et meritò, quia interveniente justâ causâ potest etiam delegatus à Sede Apostolica suam delegationem subdelegare, ex textu in cap. *Si pro debilitate, de offic. & potest. Judic. delegati*, cujus verba refert & sequitur Frances de *offic. Cancellar. Regni Aragonie*, quæst. 10. n. 6. & ibi Barbos. in *collectan.* multos refert, & Solorzan. de *jur. Indiar* lib. 3. cap. 9. num. 48.

Et sine impedimento liberum est etiam Episcopo v. sitationem delegare, ut in terminis dicti Concilij tenet Barbos. d. cap. 4. num. 17. ibi: *Non verò quod liberum non sit Episcopo v. sitationem delegare: & ibi præstat rationem, quia Concilij decretum in Episcoporum favorem redundat, aliàs si constringeretur Episcopus per propriam personam v. sitationi operam dare absque libertate illam delegandi, non leve onus illi incumberet: quare ex intentione Concilij faventis Episcopis, posse ipsos Visitatores delegare, per hæc verba testatur ex Sanch. dict. disp. 50. num. 20. idem Aug. Barbos. num. 17. & ibi decisum refert in Sacra Congregat quod etiam tradit idem Hieronym. Nicol. verb. *Visuatio*, pag. 375. num. 1. ibi: *Qui visitandi jus habent, sunt Episcopi, & superiores in propria diocesi.* Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. Quod amplia primò ut visitare possint non solum per se, sed etiam per alium.*

Quare Visitatores constituti ab Episcopo jus obtinent visitandi, cap. *Episcopum* 10. q. 1. cap. *inter cætera, de offic. Ordinarij*, cap. *Si Episcopus, eodem tit. in 6. cap. Cum instantia, cap. Procuraciones, de censib.* August. Barbos. de *potest. Episcopi*, alleg. 73. n. 21. & de *jur. Eccles.* d. cap. 14. n. 5. & de illis loquuntur DD. quos

quos refert, & sequitur Mend. *in prax.*  
 2. part. lib. 2. cap. 3. §. 3. num. 31. & seqq.  
 Oliva *de foro Ecclesie* 1. part. quæst. 16.  
 n. 44. & seqq. & 2. part. quæst. 9 n. 5.  
 18 Et in hoc Regno procedit indubitan-  
 ter hæc resolutio, quia Visitatores Ca-  
 pituli Sedis vacantis, qui succedunt in  
 jure visitandi, ut tenent multi quos re-  
 fert Barb. *in collectan. ad Concil. de reform.*  
*sess. 24. cap. 3. num. 4. & de jure Eccles.*  
*cap. 14. num. 8. & in Summa Apostolicar.*  
*Const. collect. 729. Fermosin. de Sede va-*  
*cante tract. 1. q. 12. & 13. semper visi-*  
 tarunt Ecclesias etiam exemptas, & Me-  
 litenses, ut constat ex Religionis libris:  
 quod sufficit ad obtinendum, ut multis  
 citatis tenet idem Barb. *dict. alleg. 4. n.*  
*43. & de jure eccles. dict. cap. 14. num. 37.*  
 ubi etiam quod in hoc casu potest pete-  
 re libros, & ei tradendi sunt, ut elegan-  
 ter etiam sic in hac specie concludit Ci-  
 arlin *lib. 1. forens. cap. 65. num. 13. &*  
*seqq.*  
 19 Et etiam tempore Episcoporum ita  
 observatur, ut est notorium in hoc Reg-  
 no: & ista observantia, tam in tempore  
 Episcopi, quam Capituli sufficit ad ob-  
 tinendum in Visitorum nominatione,  
 ut probant DD. quos Ego ipse refero *in*  
*commentar. ad Ord. tom 1. tit. 3. §. 10.*  
*glos. 28 num. 20. & 21. eleganter loquen-*  
 do de si nili observantia ad Concilij, &  
 Bullarum interpretationem Solorz. *de*  
*jure Indiarum tom 2. lib. 3. cap. 20. num.*  
*34. & rationem præstat idem Solorz.*  
*tom. 1. lib. 2. cap. 24. num. 88. Valenz.*  
*cons. 53 num. 11.*  
 20 Maximè quando in hoc casu non po-  
 test possessionem allegare exemptus,  
 quia non potest ostendere prohibitio-  
 nem, nec acquiescentiam actui visitatio-  
 nis, sine qua in his Juribus negativis non  
 acquiritur possessio, ex Gloss. tam vul-  
 gari, quam recepta *in l. qui luminibus ff.*  
*de servitutib. urbanor. §. flumina, Instit.*  
*de rerum divis. l. fin. ff. de usucap. Gratian.*  
*forens. lib. 3. cap. 564 num. 52. & cap. 450.*  
*num. 12. Menoch. de arbitr. cas. 160. n.*  
*10. Garcia de nobilit. gloss. 35. num. 36.*  
 in specie Farin. *decis. 33. num. 1. & decis.*  
*508. num. 4. 1 part. recentior. Tusch. pra-*  
*cticar. consul. 585. num. 2. & 5. lit. P.*

Et quando probaretur possessio, ad-  
 huc etiam eâ immemoriali non obitan-  
 te, potest Episcopus, aut ejus delegatus  
 visitare, ut expressè disponit Sacrosan-  
 ctum Concil. decretum *sess. 6. de reform.*  
*mut. cap. 4. & sess. 13. cap. 1. & sess. 24.*  
*cap. 3. & 10. etiam de reformat. ubi Au-*  
 gust. Barbof. & *de jure Eccles. dict. cap.*  
*14. num. 34. & ex dicto Concil. sess. 22.*  
*cap. 8. de reformat. tradit Frances Pasto-*  
 ralis Regular. *part. 2. quæst. 6. num. 13.*  
 & propterea statutum est *in cap. Cum ex*  
*officij, & in cap. Accedentes, de præscript.*  
 ne præscribi exemptio in visitatione ul-  
 lo unquam tempore valeat, ut profe-  
 quitur idem Barbof. *dict. num. 34.*  
 Et meritò, quia materia ista visitatio-  
 nis est impræscriptibilis; semper enim  
 actus ex parte Episcopi remanet merè  
 facultativus, secundum Surd. *cons. 127.*  
*num. 81. Gratian. forens. cap. 298 num.*  
*10. & cap. 399. num. 33. Ex quibus ita*  
 concludit Barbof. *dict. alleg. 73. num. 2.*  
 & ita procedere debet in visitatione,  
 non obitante exemptione, inhibitione,  
 appellatione, vel querela, etiam ad Se-  
 dem Apostolicam interposita, ut ex  
 Concilij Decretis tradit idem Barbof.  
*dict. cap. 14. num. 34. & probatur per*  
*textum in cap. Romana, de appellat. lib. 6.*  
 (ubi etiam quod in hoc casu non potest  
 de appellatione cognoscere Senatus  
 Episcopi, sed tantum superior,) opti-  
 mè multis etiam citatis in hac specie re-  
 solvit Ciarlin. *forens. dict. cap. 65. n. 17.*  
 Et quotiescunque Episcopis, vel suis  
 Visitoribus licet visitare monasterium  
 Regularium, aut Ecclesiam, aut alia loca  
 exempta, si dum ipsi ingredi volunt mo-  
 nasteria ipsa ob causam prædictæ visita-  
 tionis, renuant Regulares, aut alij ex-  
 empti illos intromittere ostia clauden-  
 do, Episcopis, aut Visitoribus fas erit  
 vim inferre, & ostia frangere, & impedi-  
 entes excommunicare, etiam non adhi-  
 bitis monitionibus, & procedere etiam  
 contra Conservatores impediētes, &  
 statim mandare affigi cedulones, ut per  
 hæc verba multis citatis tradunt Aug.  
 Barb. *dict. alleg. 74. num. 22. & 23. Ciar-*  
 lin. *dict. cap. 65. num. 10. 11. & 12. ubi*  
 etiam quod in hoc casu tenentur visita-  
 tionem

tionem perficere, invocato etiam brachio seculari, si eo indigebunt: quod etiam tradit novissimè D. Nicol. dict. verb. *Visitatio*, pag. 377. §. *Amplia* 12.

24 Et si aliquis Melitensis, aut exemptus laceraverit edictalia, potest ab Episcopo carcerari, & puniri, non obstante Nuntij Apostolici contradictione, ut in hac specie resolutum est per Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium apud Baptist. de Luca *theatr. verit. & just. tom. 3. de jurisdict. & foro comp. discurs. 36.*

25 Et meritò, quia exempti inobedientes, & turbantes Episcopi jurisdictionem, aut Visitationem, in qua procedit tanquam delegatus à Sede Apostolica, juxta Sacrosancti Concilij Tridentini decretum, possunt conveniri apud Ordinarium, excommunicarique ab Episcopo, aut alio modo puniri; remanent enim in his casibus subjecti correctioni, & punitioni Episcoporum, ex Concil. Trident. *sess. 25. de regularib. & sess. 21. cap. 8. de reformat.* probat Bordon *moral. resolut. 7. n. 19. & 69.* & ita declaravit Sacra Congregatio Concilij, teste Barb. in *summa Apostolicar. Constit. collectan. 439. verb. Jurisdictio, num. 6.* Frances de Urutigoyti *Pastoral. Regular. part. 2. q. 1. num. 12. & seqq. & quest. 10. num. 58.* latè Villaroel. in *tract. Governo Ecclesiastico, y pacifico, 1. part. quest. 6. art. 2.* Farin. quem citat Barb. *ad Concil. sess. 25. cap. 13. de Regular. Maur. decis. 35. dub. 2.* ubi decisum refert Piafec. in *prax. Episcop. 2. part. cap. 3. num. 52. vers. Relinquentes, Genuenf. in prax. Archiepiscopat. Neapolit. cap. 59.* Sanchez in *selectis Canonic. cap. 112 num. 11.* Solorzan. *de jure Indiar. lib. 3. cap. 17. num. 66. & 69.* Franch. *de controvers. inter Episcopos, & Regulares, q. 6. vers. 5.* Palafox Episcop. in *lib. intitulato Defensa Canonica, pag. 12. versa, num. 28. & seqq. & pag. 63. num. 2. & seqq.* de Luca *theatr. veritatis & justitiae tom. 3. de jurisdictione, discurs. 29. per tot.* ubi ad hoc allegat textum expressum in *cap. Cum & plantare, §. fin. de privileg. & discurs. 36. & 47.* tradit etiam Carena *de offic. Sancte Inquisitionis part. 1. tit. 5. §. 13. n. 90* Fuscus *de visitatione lib. 2. cap. 10. n.*

24. Peyrin. *de privileg. minor. tom. 1. constit. 2.* Xysti IV. §. 70. n. 13. Novar. *Lucernæ Regular. vers. Excommunicare, n. 6.* Delbene *de immunit. Eccles. tom. 2. cap. 14. dub. 1. num. 8.* Diana *part. 3. tract. 2. resolut. 35.* Ricc. in *prax. resolut. 210. num. fin.* Leon *de censur. 2. part. recollect. 2. n. 488. & seqq.* Frances *de Eccles. Cathedral. cap. 28. num. 353. & seqq.* Sanch. *tom. 2. Concilior. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 29.* ubi etiam quod procedit etiam si exempti delinquant, & contradicant in loco exempto: & ad ea, quæ possunt objici, respondent Luc, Frances, & Leon ubi suprà.

Cætera circa materiam visitationis, & 26 quomodo, & quando, & quibus requisitis fieri debeant, vide per suprà citatos, & maximè per Barbos. & Fuscum: & de hac quæstione post hæc scripta vide Scanno in *propugnacul. Sacr. Religion. discept. 13 cap. 12.* ubi aliquas limitationes refert circa quæstionem principalem: de quo etiam vide Pereyr. *2. part. 58. per tot.* circa Visitatores Ordinum, de quibus etiam in *alleg. jur. in Ordinum defensionem contra Archiepiscopum Eborensem.*


Et etiam Legatus à latere, aut Nun- 27 tius cum ejus potestate potest visitare; cum ex officio legationis suæ à Sede Apostolica visitatio injungitur; & Legatus natus in sua Provincia, *cap. Accedentes, de præscriptionib. cap. Quia, de immunit. Ecclesiarum:* & Legatus missus, si ei specialiter injunctum sit onus visitandi, ut si urgens aliqua necessitas exoptulet v. visitationem, *cap. Cum instantia, cap. Cum nuper, cap. procurationes, de censib. Barbos. d. potest. Episcopi alleg. 73. num. 20. & alleg. 129 num. 5.* novissimè Emmanuel Gonzalez Tellez in *commentar. ad jus Canonic. ad text. in cap. Cum Apostolus, de censib. n. 6.*

Et quando datur specialis Visitator à 28 Papa, an possit visitare Episcopus, aut ejus Visitator, pro una & altera parte multa tradit Fermosin. *tract. 1. de Capitul. Sede vacant. quest. 12. num. 16. & quest. 13.* disputat, an Visitator Sede Episcopali vacante deputatus censetur habere generalem administrationem, quamvis ea non exprimat in mandato:

ro: & an possit Visitator Episcopali Sede vacante deputatus ab inferiori à Papa conferre beneficia spectantia ad solam collationem Episcopi? Et an Capitulum Sede vacante possit per se & per suos Visitatores visitare exemptos, sicut potest Episcopus?

que, ff. de religios. & sumptib. funer. super verbis textus, Ut & sumptus possint servari, n. 24. & seqq.

Et si Nuntius è vita decedat in legatione, aut in via, ut debeat sepeliri expensis Archiepiscopi, Episcopi, aut Cleri; & in quo loco debeat deponi corpus ejus, & an habeat sepulturam Cardinalis Legati, est textus in cap. *Accedens*, de prescriptionib. & tradit Jul. Lavorius tom. 1. *variar. lucubration. tit. 2. de prisco & recenti funerandi more, cap. 11. num. 50. & cap. 16. num. 33.* quem refert Villarroel. *Governo Ecclesiast. y pacific. 1. part. q. 4. art. 3. n. 16. & 17.* Fermoïn. in cap. *Sua nobis*, de offic. Vicar. quest. 3. num. 69. qui loquitur in Collectore: & Nos finem huic tractatui imposuimus die 30. Aprilis 1673.



CAPUT CLXI.

Utrum Archiepiscopi, aut Episcopi possint cogi ad hoc, ut eorum expensis sepeliatur Nuntius mortuus in legatione, aut in via: & ubi sepeliri debeat, & quid in Legato à latere?

SUMMARIUM.

PROTESTATIO.

- 1 De sepulturis.
- 2 Si Nuntius decedat in legatione, ubi & quomodo sepeliri debeat.

**D**iversis, variisque nominibus appellari solebant loca, in quibus mortuorum corpora sepeliebantur, de quibus sunt videndi latissimè agentes Jul. Lavor. *tit. 2. cap. 6. de prisco & recenti funerandi more.* Dulphus *de sepultur. cap. 3.* Francisc. Maria Samuel *de sepultur. contr. 3.* eleganter, & omninò videndus Hiran. *prax. protestation. in princip. super text. in l. si quis 14. §. pleri-*

Me inscio, si aliquid in hoc libro, vel alibi elapsum est, quod Catholicæ Fidei, aut Christianæ Religioni aliquatenus adversetur, vel ignaro, quod DD. minùs probari contingat, id omne indictum, non scriptum, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ, aut cujuslibet meliùs sentientis correctioni subjectum & debitè voveo, & ex animo volo.

FINIS LAUS DEO.



